



Explanatio Psalmi CXVIII.

„Beati immaculati,"

seu

Expositio omnium sententiarum Dei, ad Messiam spectantium,

ad

usum eorum sacerdotum accommodata, quorum Horas suas Minores pie ac fructuose recitare refert,

per

Seb. Zehetmayr,
Sacerdotem.

Augustae Vindelicorum,
sumptibus et typis *Caroli Kollmann,* bibliopolae.
1851.

Nil sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. St. Bernh.

Ossa corporis humani, ut sano *carnis* vigore non vestiantur nec placido sanguinis rubore resplendeant: quid sunt aliud, quam tristissimus imaginis mortis adspectus? Haud secus, quod ad spiritum adtinet, sceleta nostra recitatio „*viarum*" „*judiciorum*" „*mandatorum*" „*semitarum*" „*justificationum*" aliarumque, quas Psalmus habet, legum, quorsum valet, si ariditas ista continuae nostrae iterationis non vegeta *Incarnationis* memoria vigescit et viva *Sanguinis* Christi recordatione semper alitur et nutritur?

Eichstadii Cal. Maj 1851.

Praemonitum.

Toto hoc Psalmo, quem sancta Mater Ecclesia singulis diebus religiose considerandum, devote recitandum proponit, non tam David pater ipse, quam Messias Filius David, Deum Patrem enise precatur, ut, quemadmodum de Filio hominis jam inde a principio in Lege et Prophetis statutum sit, ita rite ac *juste* ad placandam Dei justitiam secum agatur. Sunt quidem, quibus haec nostra explicandi Scripturam ratio minus probetur, ut quae abhorreat a sensu Christi „*Veritatis*“, et aliena sit ab animo Ecclesiae; quos, si in hac parte Patrum Ecclesiae exempla levia ducant, vehementer Apostolorum atque adeo Christi ipsius monitos velim, qui, oblata proxima quaque occasione hoc vel illud ideo ita nec aliter fieri *oportuisse, decuisse,* indicarunt, quod sic scriptum esset non in hoc vel alio messiano, quem vocant, Psalmo, sed generatim in omnibus Psalmis. (cf. Luc. 24, 44. Act. 1, 20.) Hanc igitur summam auctoritatem quum nesciam an minuere nolimus, supersedemus prolixius de hac controversiae materia disserere et testes adhibere plures locos Scripturae, qui a nostra sententia faciunt. Illud etiam tacemus, de quo inter omnes Sanctos Ecclesiae constat, Davidem, auctorem carminis nostri, quum non vita tantum, sed nomine etiam figura „*Filii David*“ fuerit; ut in aliis, sic etiam in hoc Psalmo typum gessisse venturi Filii sui „*veri David*“ (cf. Jerem. 23, 6. 30, 9. 33, 22. Jes. 16, 5. Ezech. 34, 23. Hos. 3, 5.)

hoc est „*Dilecti*“ sive „*Caroli*“ (דוד „*amor*“ „*amatus*“ aut יְדִיד „*dilectus*“ ejus, qui futurus esset proprie „*vir juxta cor et animum*“ (I. Rgg. 4, 35.) et „*Filius dilectus, in quo Pater sibi complacuit.*“) — (Matth. 3, 17.)

Praestat praeterea in textu originali hoc carmen divinum singulari elegantia et, quo facilius memoriter ediscatur, artificio suo alphabetico, ita quidem, ut integrum Alphabetum hebraicum octies repetatur! Haud falso etiam memoriae proditum fuerit, hunc eundem Psalmum olim a Judaeis, quum festos suos, prae ceteris paschales dies acturi, Hierosolyma peregrinarentur, recitari solitum esse. Quae consuetudo quem non moneat regulae Rosarii nostri, quod et ipsum *certa* precandi formula est, qua, si non ogdoades ut in hoc Psalmo, at *certae* decades distinguuntur? Quum vero „*militans*“ nostra Ecclesia in continuo suo itinere sit in „*caelestem urbem Jerusalem*“, idcirco praevium Synagogae morem adoptavit et continenter hunc peregrinatorium (ut ita dicam) Psalmum pie precando absolvit.

Igitur, praeeunte verba patre David, „*Filius David*“ ex devoto Sacerdotii sui corde in hunc modum orditur orare idque

Ad Primam,

(qua primordium „Verbi“ incarnandi continetur).

Aleph. *Beati* *) *immaculati in Via.* Felices integros vitae! quorum animi intactos se servant, „*expectantes beatam Spem et adventum Salvatoris*“ (I. Tit. 2, 13.) et „*Viam*“ (Joh. 14, 6.), originem omnis integritatis causamque *beatitudinis*. Hujus enim in „*Viae*“ veritate qui ambulaverint, „*etiam si mortui erunt,*“ vivent et vivent *beati*. Prae omnibus vero ego verus David me ipsum felicem praedico purissimum,

*) (Hebr. aschré.)

per totum vitae meae curriculum ab omni culpa prorsus vacuum: quippe qui Patrem habiturus sim Deum meum sanctissimum et Matrem Virginem, quae, quum ex *immaculata* conceptione partu edita fuerit, omni labe se incontaminatam servabit. Postremo felices! qui in Messia, conditore regni Sanctitatis, pie sanctitatem morum colunt et integritati inserviunt — *in me*, cui hanc potissimum ob causam nomen „*Viae*" inditum est, quod per me ad tuam, Pater! beatitudinem aditus latissime patet; „*ego enim sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur.*" (Joh. 10, 9.) *Qui ambulant in lege Domini.* Si vero omnes omnino strenui observatores Legis summam felicitatem nanciscuntur! quanto magis ego et ipse felicissimus et redintegrator perfectae prosperitatis ero, si praeter ceteros, quae in Lege de me scripta sunt, diligentissime adimplevero, nec prius cum Sanctis meis in *cursu* meo consummando et ambulando in Lege *constitero*, donec, toti Legi Patris mei et prophetiis ejus exoptatissimo fine imposito, cum omnibus, qui me ducem fideliter secuti fuerint, ad finem promissionum feliciter per*venero! Beati* *), *quia scrutantur testimonia ejus.* Felices! qui, vestigia sanctitatis „*Viae*" persequentes, tua, Pater! praecepta tuentur. *In toto corde exquirunt eum.* Qui non ad levitatis primi Adam instar ad nefas voluntates suas flectunt, sed qui, ad exemplum *sanctissimae* patientiae ac constantiae secundi Adam (I. Cor. 15, 14.) incedentes, *toto corde* totam Dei naturam amplectuntur. Felices! quorum animos nulla voluptas, nullum bonum dividit aut in diversum trahit; qui *non ancipiti*, sed omni et sincero corde, mecum ad tuam dumtaxat voluntatem cor totum erectum habent! qui enim me secuti fuerint, ex iis „*nemo poterit duobus dominis servire.*" (Matth. 4, 26.) *Non enim* **), *qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* Qui parum

*) (Hebr. aschré.) — **) (Hebr. aph-lo.)

defigunt animos et minus intendunt in ea, quae a Patre data sunt, mandata; qui, primum Adamum praevaricatorem imitantes, non modo sanctitatem tuae Legis violant, sed in hac perversitate tua etiam perstant, paucis! qui a tramite meo, a „*Via*“ deflexerunt: te Deum Patrem, largitorem beatitudinis inimicum habent. Quos vero vestigiis „*novissimi Adam*“ insistere et pie Legem Patris colere non piget: hi, divinam clementiam experti, felices erunt. ***Tu* *) *mandasti, mandata tua custodiri nimis.*** Tu, sanctissime Pater! ut per Prophetas tuos universa omnino edicta tua dedisti et, quomodo in me consulant, jam pridem constitutum est: ita imprimis et ante omnia illud a te mandatum est, ut „*Verbum*“, si modo „*Via*“ et origo beatitudinis fieri decrevit, Caro fiat. Primum omnium mandatum hoc est, ut „*Filius Dei veniat in mundum*“. Haec prima sententia, de me stabilita, his verbis exstat: „*In terris visus est et cum hominibus conversatus est.*“ (Bar. 3, 38.) Et: „*Veniet Desideratus cunctis gentibus.*“ (Hagg. 2, 8.) Hoc mandatum autem mandasti custodire nimis et diligenter et, quum hac lege tua etiam cautum sit, non modo ut veniam, sed ut suo tempore veniam in mundum, non ante veniet „*Pacificator*“ **), quam „*auferetur sceptrum de tribu Juda et dux de femore ejus*“ et Herodes *Idumaeus* Judaeae praeerit. (Gen. 49, 10.) *Utinam* ***) *dirigantur viae meae ad custodiendas justificationes tuas.* Quam velim non hoc primum modo, sed omnia augustissima tua mandata mihi observari, ne ulla ex parte mea tuae voluntati repugnet! O si ex voluntate tua viae meae dirigantur, quum, ut Verbum caro fiat, descendam de sinu Patris in Virginis uterum, ex utero in praesepem, de praesepibus in crucem, de cruce veniam in sepulchrum, de sepulcro tandem, unde profectus ero, in coelum revertar! Singillatim cum man-

*) (Hebr. athah.) — **) (Hebr. Schiloh.) — ***) (Hebr. achalai.)

data tua considero: quam libenti animo vias praecipuè ad illam visionem Danielis regam, qua ex visione illud justum mandatum tuum dari apparet, ut „*de monte*“ (i. e. de Excelsis) sim lapis excisus „*sine manibus* h. e. coelitus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo Spiritu sancto nascar ex Maria Virgine. (cf. Dan. 2. Joh. 1.) *Tunc *) non confundar, cum perspexerò in omnibus mandatis tuis.* Quum impigram curam adhibuero et omnem diligentiam ad cognoscendam omnem voluntatem tuam: nil omnium rerum mearum pudori mihi futurum sit. Quî tandem fieri possit, ut aliquando pudefiam, tua quum omnia praecepta tam apud animum cogitavero quam obedienter praestitero, neque unquam a sanctissima voluntate tua me separaro? Ecquid me puduerit, si „*parvulus*“ quidem „*nascar hominibus et filius datus ero eis*“; sed pro eo, quod ita me demisero, „*fiet principatus super humerum meum vocabiturque nomen meum: Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi*“ (i. e. conditor novi Testamenti) „*princeps pacis?*“ (Jes. 9, 6.) Tua si mandata perpendero, neutiquam confundar; nam, etiamsi nasciturus sum „*ego servus tuus et filius Ancillae tuae*“ (Ps. 115, 6.) et quamvis mater mea, ancilla tua, ex ore Archangeli mandata tua cum pavore audiet: protinus tamen simul audiet illud alterum mandatum, ut „*Maria concipiat in utero et pariat filium, cujus vocet nomen Jesum, qui futurus sit magnus et Filius Altissimi vocetur. Dabit, inquiet, illi Dominus Deus sedem David patris ejus et regnabit in domo Jacob in aeternum. Et regni ejus non erit finis.*“ (Luc. 1, 31.) Quid etiam poeniteat me humillimae originis meae, si tua mandata perspicio? quum, si ex paupercula „*Virgine conceptus et partus fuero*“ (Jes. 7, 14. Matth. 1, 23.) „*multiplicabitur imperium meum et pacis non erit finis?*“ quum tuo jussu „*super solium David et super regnum ejus sedebo et confir-*

*) (Hebr. bhe) [illegible]

mabo illud et corroborabo in judicio et justitia amodo et usque in aeternum?" (Jes. 9, 7.) Ita sane non confundar, si maxime a primis omne studium et omnem operam in exsequenda voluntate tua consumturus sum; nam pro obsequio meo eam Matrem in praemium mihi dabis, quae, licet prima specie humilis esse videtur et obscura, tamen futura est gloriosa illa *„Mulier, amicta sole, cujus sub pedibus est luna, et cujus in capite corona stellarum duodecim."* (Apoc. 12, 1.) Quantumvis ante Nativitatem meam *„Draco stabit coram Muliere quae paritura est, ut, cum pepererit,"* eodem vestigio *„filium ejus me devoret"* — nec tamen confundar: nam *„pariet filium masculum, qui recturus est omnes gentes in virga ferrea et rapietur ad Deum et thronum ejus."* (Apoc. 12, 4.) Deinde quamvis, quod ad locum natalem meum adtinet, despecta sit patria mea *„Bethlehem Ephrata et parvula in principibus Juda";* nihilo minus tamen horum natalium non me pudebit, quia jussu Patris *„inde egredior, ut sim Dominator in Israël et egressum meum ab initio, a diebus aeternitatis, esse"* pateat. (Mich. 5, 2. Matth. 2, 6.) Tum quoque, quum venerit statum *„tempus, in quo Parturiens parturiet"* me (Mich. 5, 3.), omnia vero in Bethlehem hanc Matrem meam repudiabunt, nullo tamen pudore afficiar; namque ex hac prima mea et matris meae humilitate hoc fructus percipiam: ut suo jure Anna hoc de me praedixerit: *„Dominus dabit imperium Regi suo et sublimabit cornu Christi sui"* (I. Regg. 2, 10.) et id mercedis inde accipiam, ut *„futurum sit germen Domini"* *) *„in magnificentia et gloria, et fructus terrae"* (i. e. Filius hominis) *„sublimis et exaltatio his, qui salvati fuerint."* (Jes. 4, 2.) *Confitebor* **) *tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiae tuae.* *Animo sincero* perinde ut paternae tuae curae pietas in me infantem postulat, secundum

---

*) (Hebr. Zemach i. e. Messias.) — **) (Hebr. addecha.)

Nativitatem meam id solum spectabo, ut Incarnatione mea tua gloria amplificetur, tibi *confessio* augeatur. Confitebor tibi, atque illud jam sciant et *„audiant insulae“* et *„mox attendant populi de longe,“* te et te solum *„ab utero“* Virginis Mariae *„vocasse me, de ventre Matris meae te recordatum esse nominis mei.“* (Jes. 49, 1.) Sed hoc etiam confitebor, *„in te me projectum esse ex utero, de ventre Matris meae Deum meum esse te neque quemquam alium.“* (Ps. mess. 21, 11.) ***Justificationes tuas*** *) ***custodiam, non me derelinquas usquequaque.*** A puero certum mihi est, me, *„sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facturum esse.“* (Joh. 14, 31.) Juste et congrue de me praefinitum est, ut res insolita atque inaudita contingat; igitur, modo tu me ne deseras, sed propitius mysterio Incarnationis adsis, nihil recusabo, quum *„creabis Domine! novum super terram: Femina circumdabit virum.“* (Jerem. 31, 22.) Justam hanc sententiam observabo et, tuam in tutelam velut in gremium me recipiens, non prohibebo, quin Virago Maria in utero habeat me *„virum perfectum“* (Ephes. 4, 13.) et auctorem *virtutis.*

Beth. ***In quo*** **) ***corrigit*** (hebr. *„Jesakkeh“* = *„mandabit.“*) ***adolescentior viam suam?*** Quo pacto possit mihi exploratum esse, Filii hominis modo geniti voluntatem undique perfecte et absolute tuae, Pater! parem esse ac similem? Qua ratione recens natus *munditiam* infantiae meae servabo et pueritiam meam ad tuam voluntatem augurer, ita ut *„Tu sis mihi in Patrem et ego sim tibi in filium?“* (2. Rgg. 7, 14. Hebr. 1, 5.) Ipse hoc mihi responsum do: ***In custodiendo sermones tuos,*** si tu *„applicabis me et ego accedam ad te.“* (Jerem. 30, 21.) Vix in lucem editus ero, quum, ut verbis tuis obtemperem, circumcidendus in Templo offerar, ut *„adimpleam illum ser-*

*) (Hebr. áth-chukécha.) — **) (Hebr. baméh.)

monem tuum, quem apud Prophetam locutus es: „Statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus Testamenti, quem vos vultis, ecce venit!“ (Malach. 3, 1. Luc. 2, 22.) Statim in principio vitae meae alium etiam *sermonem* custodiam, quo *„postquam impleti erunt dies Purgationis secundum Legem Moysi, ferri jubeor in Jerusalem, ut sistant me Domino, sicut scriptum est in Lege Domini: „Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.“* (Exod. 13, 1. Luc. 2, 23.) Puram aetatem meam puerilem servaturus custodiam sermones tuos et post haec et alia *„habitabo in civitate, quae vocatur Nazareth, ut adimpleatur, quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazarenus vocabitur.“* (Matth. 2, 23.) *In toto *) corde meo exquisivi te.* Ad *omne* imperium tuum ab infantia paratus et intentus sum, et usque eo te tantum tuamque sanctitatem mihi affectabo, ut, quemadmodum nulla prorsus noxae vel minimae macula aspersus aut labe peccati foedatus, e sinu Virginis natus ero: sic sanctissimam hanc puritatem eo servabo, quod te solum quaero, te solum sequor. *Ne repellas me* (hebr. Al thasgéni = *„ne errare facias me.“*) *a mandatis tuis,* in quibus omnem totius vitae voluptatem ponam, neu sinas me deflectere a consilio tuo, quo mandasti, ut totus similis hominum nascar *„praeter peccatum“* (Hebr. 4, 15.), adeo ut puritas vitae meae illibata arcte cum decretorum tuorum sanctitate conjuncta maneat. Nasci me decet *„nescium peccati“* (II. Cor. 5, 21.), quia tuo numine ego sum ille *„Justus, quem rorarint coeli desuper et pluerint nubes.“* (Jes. 45, 8.). Ne repellas mea mandatis tuis, quibus dulcissima vitae sanctitas de me decreta est, quum dixisti, ut *„descenderem“* aeque purus in uterum Matris meae *„atque pluvia in vellus“* Gedeonis olim „*descendit et sicut stillicidia stillantia super terram.“* (Ps. mess.

---

*) (Hebr. bekol.)

71, 6.) Illud ergo precor, ut tibi provisum sit, ne jam a juventute mea, inde a puero animum meum ab his et talibus consiliis tuis avertas, neu infantia mea a sancta tua voluntate distet. Quin potius, quemadmodum alio loco mandasti, „*judicium tuum Regi*“ (Messiae recens nato) „*des et justitiam tuam filio regis*“ (David.) — Ps. mess. 71, 1. — *In corde meo* *) *abscondi eloquia tua.* Ut thesaurum omnes prophetias tuas sacrum in penetrale mentis meae abdo, promissiones pariter ac jussus tuos in intimo cordis mei affectu reconditos habeo, tuaque sanctissima voluntas, ne unquam ab ea declinem, semper in animo mihi haeret. Haec autem lex tua non ex animo mihi excidet, qua statuisti statutumque tenebis, ut mandatorum tuorum Sanctitatem, in Filio tuo absconditam, etiam eant veneratum. Quapropter ex hoc mandato tuo „*ad me venient et deprecabuntur, et tantum in me latere Deum et non esse absque me Deum*“ credent et intelligent. (Jes. 45, 14.) Hoc mandatum tuum ut faciant, venient etiam Magi ab oriente adoratum divina mandata et promissa tua in me *abscondita.* Venient quoque deprecatum Divinitatem meam, in corpore infantis latentem et, non injussu tuo, in humana natura mea *absconditam.* Aeterna Sanctitatis tuae consilia et Divinitas mea non ita propalam sub sensus cadunt, sed in me primum abscondita sunt decreta tua et tum, quia tuam, Pater! divinam naturam in me *absconditam* habeo, quae tua occulta tantum gratia et fide comprehenditur: tu (quemadmodum placitum est) „*eris vere Deus*“ in me „*absconditus.*“ (Jes. 45, 15.) *Benedictus* **) *es Domine!* Incarnatio mea infinitam tibi laudem conciliabit, nec hymnus, quem concepto me Maria dixerit, in Ecclesia cani desinet; et in memoriam Incarnationis semper dicent: „*Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*“ (Luc. 1, 46.) Benedictus es, Pater! et „*hymnus alius, quo Angeli Nativitatem meam in*

*) (Hebr. belibi.) — **) (Hebr. baruch.)

honorem Patris nobilitaverunt laudibus, nunquam conticescet et continenter in Ecclesia concinent: ,,*Gloria in Ecclesia Deo!*" Patri, cujus voluntate Christus natus est nobis. (Luc. 2, 14.) Et pergent: Laudamus te, *benedicimus*, adoramus te, *glorificamus te*, gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. ***Doce me justificationes tuas.*** Trade mihi, Pater! quae vitae ratio a teneris mihi gubernanda sit, neve in posterum ex mente mea oblitera, quo *justo* promisso mihi obstrictus sis pollicitus ,,*te adducturum esse Servum tuum*" (Messiam) ,,*Orientem.*" (Zachar. 3, 8.) Ego sum ,,*Oriens ex alto*" (Luc. 1, 78.) et ego idem sum illa ,,*stella oritura ex Jacob*" (Num. 24, 17.) et illa ,,*virga*" oriunda et ,,*egrediens de radice Jesse.*" (Jes. 11, 1.) Doce me, quomodo ad hunc prosperum finem provehar, ubi summo *jure* me aeternam etiam esse „Stellam matutinam" (Apoc. 22, 16.) et ,,*Solem Justitiae*" et ,,*Lucem mundi*", qua ,,*illuminentur hi, qui in tenebris sunt et in umbra mortis*", fideliter credant. Edoce me, ut intelligam, quomodo magis magisque ita a parvo evehar ad magnum et videam, hoc *juste tibi* placuisse, ut ex tanta ortus mei exiguitate tandem perfectum finem mihi evasurum esse. Ne incertum, precor, ullo tempore mihi relinquatur, non aliter quam parvo isto principio omnia me superare posse et ipsa humilitate primordiorum rei meae cum superbia mundi debellatum iri. Sic *juste* elatos ,,*percutiam duces Moab vastaboque omnes filios Seth,*" sic Idumaea h. e. totus mundus ,,*fiet possessio mea.*" (Num. 24, 17.) ***In labiis meis *) pronuntiavi omnia judicia oris mei.*** Infans adhuc et loquelae impos recordatione voluntatis tuae tacitas labiorum laudes tibi libo et, quemadmodum quadraginta abhinc saecula tanquam labiis mandata tua pronuntiavi, quum, typicis Patriarcharum et Prophetarum personis praefiguratus, non diserte quidem sed

---

*) (Hebr. bisephatai.)

tamen distincte, jam pridem omnes casus vitae meae, quos jussu tuo subiturus essem, tanquam labiis significavi: sic nunc non figurarum mearum praemonstratione, sed meis ipsius labiis jam in fasciis tua tantummodo judicia annuntio. Per Electos olim eorumque vitae fortunas exposui et tantum non clara voce pronuntiavi, quod initium humanae vitae meae futurum esset: nam in vitis Sanctorum veteris Testamenti, quae meae futurae vitae imago fuerunt, jam omnia judicia tua, quomodo de me statueris, tanquam labiorum motu significata, pronuntiavi. Si v. gr. Samuel et Samson Angelo nuntiante matribus inter preces promissi et dati sunt, figuris istis, sententia oris tui concessis, tacite neque eo minus clare et dilucide indicavi, me ipsum aliquando interventu Gabrielis Archangeli Matri meae precanti incarnandum datum iri. Et si in ipsis cunnabulis multa pericula capiti meo impendent, sed ego omnes has minas superabo: hoc judicium oris tui, si non verbo at *certe* figura quasi quibusdum *labris* pronuntiavi, quum Moses, Pharaone omnia mala contra eum machinante, in corbe sua salvus evasit. Porro ubi „*puer Samuel profecit atque crevit et placuit tam Domino, quam hominibus*," (I. Sam. 2, 26.) iterum tanquam labro praemonstratum est, fore, ut aliquando puer „*Jesus proficiat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines.*" (Luc. 2, 52.) *In via* *) *testimoniorum tuorum delectatus sum.* Acturus vitam sum plenam periculorum; sed haec ex tua voluntate mihi instabunt. Mea autem erga legem tuam obedientia una mea voluptas et dulcissimus „*cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.*" (Joh. 4, 34.) *Sicut in omnibus divitiis.* Hoc vitae genere non opes fluxas, non copiam rerum interiturarum, sed animos immortales, ex ipsa vita mea mortis nescias lucrabor et in meas *divitias* vertam.

*) (Hebr. bedéroch.)

Ad hunc thesaurum meum quid sunt omnes opulentiae terrarum? Egestate mea mihi et Meis eas divitias paraturus sum, quas *„neque fur auferre neque tinea aut aerugo corrumpere possint.“* (Luc. 12, 33.) Ex hac voluntate tua tantum voluptatis capio, quantum omnes divitiae mihi nequeant parare: nam continuus meus cum voluntate tua consensus ad aeternam pretiosarum animarum salutem valet. *In mandatis tuis *) exercebor* et totus semper ero in contemplatione divinae voluntatis tuae. *Et considerabo vias tuas.* Ad tuum solius obsequium incumbam; usque a pannis praesepii ad nuditatem meam in cruce non mei, sed tui juris me esse sciam, et *„tua voluntas sola fiat.“* (Luc. 21, 42.) *In justificationibus tuis **) meditabor.* Misertus fortunam mortalium summa cura studioque per omnem vitam meam in eo laborabo, ut *justitiae tuae* per me satisfiat et hominum miseriae *juste* succurratur. Igitur spe laetissima id agam, ut *justificem* redimamque homines, salute mea non concessa, simul in *injustos* simul aerumnosos. *Non obliviscar sermones tuos.* Nulla justificandi mortales difficultas mentem meam labefactabit et, una communis salutis cura cum animum subeat, bene memini, mox *„contrito capite Serpentis“* (Gen. 3, 15.) me de peccato et auctore peccati aeternum triumphum esse acturum. Tali recordatione sermonis tui recreabor et animum colligam.

Gimel. *Retribue ***) servo tuo.* Domine sancte Pater! qui propter praevaricationem Adami in Paradiso omnia serva et potestati Diaboli subjecta esse permisisti, vide, precor! obedientiam alterius Adam tui, *„qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus sese aequalem Deo esse, tamen semetipsum exinanivit, formam servi accipiens,“* per Incarnationem *„in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut*

---

*) (Hebr. bephicudécha) — **) (Hebr. bechucothécha) — ***) (gémól.)

homo." (Phil. 2, 6.) Retribue mihi qua maxima erga te fuero pietate ac studio acceptam in Paradiso injuriam corrigendi. *Vivifica me.* Accensum desiderio redemtionis hominum revoca, Domine! et te oro atque obsecro, ne futuro mundi Salvatori patrocinium tuum desit. Postquam vitam meam ex intemerata Matris Virginitate creasti, jam fac ita *vivam* inter mortales, ut vitam veram eis recuperem. Tu si id gratiae concesseris, re vera me eis exhibebo Viam, Veritatem et „*Vitam.*" Tua praesentia si ad fidem meam *vivificam* allexerit, „*qui credet in me, etiam si mortuus fuerit, vivet.*" (Joh. 11, 25.) „*Sicut enim peccato primi Adami per unum hominem peccatum in mundum intravit et per peccatum mors et unius delicto mors regnavit per unum; multo magis abundantiam gratiae et donationis et justitiae accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum.*" (Rom. 5, 15 et 17.) ***Et custodiam sermones tuos.*** Quod hominum exitio devotum est et, ut intereat, comparatum, tuo jussu per me *vitae* aeternae restituetur, — ut custodiam sermones tuos, quos locutus es per prophetam: „*Ecce! vir, Oriens nomen ejus.*" (Zach. 6, 12.) Vita ipsa per Incarnationem orta mortem occidere vitamque meam illuxisse jubebis. ***Revela*) oculos et considerabo mirabilia de lege tua.*** Aperi oculos mentis puero, ut capere possit atque assequi sublimia mysteria, quae Redemtioni meae et voluntati tuae subsunt. ***Incola**) ego sum in terra.*** Peregrinus sum et ut peregrinum me ipsum meamque matrem Bethlehem ab hospitio suo excludit. Extorris patria factus in Aegypto exsulabo, unde quum in patriam reversus ero, a popularibus meis e Nazareth ejiciar. „*In propria veni et mei non me recipient.*" (Joh. 1, 6.) Incola ego sum praecipue in terra Judaeorum, eo quod divina sanctitatis meae et coelestis fidei vis quasi peregrinata abesse coepit animis Israël et jam transire parat in fines gen-

---

*) (Hebr. gal.) — **) (Hebr. ger.)

tium. Sum et esse perseverabo incola in terra et semper pro inviso peregrino me habebunt, quia „*de deorsum sunt, ego autem de supernis sum. Illi de mundo hoc sunt, ego non sum de hoc mundo.*“ (Joh. 8, 23.) „*Mundus totus in maligno positus est*“ (1 Joh. 5, 19.) et Spiritus malignus principem mundi agit is, qui maxime mihi adversarius est et animos impiorum instigat, ut, *alienam* semper mihique hostilem voluntatem conservantes, infestissimo etiam odio nomen meum aversentur. *Non abscondas a me mandata tua.* Quum triginta tres annos tantum in terra moraturus sum, nihil voluntatis tuae me celes et, quum jam nunc Diabolus destructorem suum, qui non de hoc mundo oritur, esse petit, bonum animum me habere jubeto neu abscondo a me mandatum tuum, ut ideo in Aegyptum fugiam, quo manifestius „*adimpleatur, quod dictum est a te per prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi Filium meum.*“ (Matth. 2, 15. Hos. 11, 1.) *Concupivit* *) *anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Desiderio decretorum tuorum conficior et sententias tuas discupio facere non in praesens tantum, *sed in omni tempore*, adeo ut in omne posterum tua mandata in me dominentur. Si enim jam nunc mundus me odit et fuga salutem petere debeo: in omni tempore Apostoli et Electi mei hujus exilii mei recordentur nec moleste ferant, quum ubique locorum velut peregrinos mundus eos expellet et „*facient eos absque Synagogis.*“ (Joh. 16, 2.) Exopto, ut nullo tempore meae fugae non recordentur et sibi ita persuadeant: „*Si mundus nos odit, scimus, quia Jesum nostrum priorem nobis odio habuit. Si de mundo essemus, mundus quod suum esset, diligeret; quia vero de mundo non sumus, sed nos elegit Jesus de mundo, propterea odit nos mundus.*“ (Joh. 15, 18.) *In omni tempore* meminerint hujus fugae meae et „*sermonis mei, quem dicturus sum eis: Non*

---

*) (Hebr. garsah.)

esse servum majorem domino suo." (Ib. v. 20.) *Increpasti *) superbos.* Tu Herodi et doctoribus ejus graviter minitaris, quibus rex, tam obscuro tam humili loco natus, et Salvator, tam tenuis tam ignobilis, non modo despectui est, sed quibus de interficiendo etiam rege „*miti et humili*" consilia ineuntur. *Maledicti, qui declinant a mandatis tuis.* Pessime autem cum superbis humilitatis meae osoribus agetur, qui adeo nil plane de mandatis tuis sapiunt, ut hanc ipsam humilitatem meam a te imperatam esse ignorent. Male istis, superbia elatis! nam quemadmodum sola humilitas humanitatem, gloriam et salutem in se habet: sic in una superbia omnia, quae in me suscipient, complexa et iis, qui infantiam meam aspernati fuerint, omnibus omnia ad aeternam perniciem profligata atque prodita esse video. Poenas certe luent et malos male perdes. Qui enim (ita tu minaris!) ob fastum animi scandalizatus in me fuerit et „*ceciderit super hunc lapidem, confringetur.*" (Matth. 20, 43). *Aufer **) a me opprobrium meum et contemtum.* Animo jam prospicio, superbiam mundi nihil inexpertum omissurum esse, ut humilitas mea communi irrisui fiat: sed tua, quaeso! abjectum me egregia victoria nobilitare intersit. Quodsi tu contumelias meas vindicandas suscipis: quamvis usque eo me humiliasti, ut tuo e sinu in praesepe me demiseris et in solitudinem Aegypti relegaris, tamen pro certo habeo, ex hac humilitate ad gloriam me evectum iri. Aversabundi quidem dicent: Nonne hic est Jesus, filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem (quam nihil sint!): „*quomodo ergo dicit*" hic: „*quia de coelo descendi?*" (Joh. 6, 42.) Sed quem hominum livor minuet, hunc, omni opprobrio remoto, tua cura extollat! *Quia testimonia tua exquisivi.* Nunquam illius mandati tui memoriam depo-

*) (Hebr. gaartha.) — **) (Hebr. [illegible])

siturus sum, ut, quo vulnere Adami inobedientia genus suum afflixit, id ego humillimo meo obsequio sanem. Salutem filiorum Adam in humilitate tantum mea consistere manifestum habeo; nam sic de me decretum est, ut, „*sicut per in obedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituantur multi.*“ (Rom. 5, 19.) ***Etenim*** *) ***sederunt principes.*** „*Signum sum contradictionis.*“ (Luc. 2, 34.) Undique omnes in me puerum terrores periculaque ingruerint omnia. Herodes *princeps* „*congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitatus erit, ubi Christus nasceretur, non quod vere adorare vellent, sed quia e medio me tollendum esse*“ (Matth. 2, 4.) censuerint. ***Et adversum me loquebantur.*** Me solum quia ad mortem quaerunt et violenter in meam vitam consulunt, ideo de crudelissimo infanticidio iis convenit. ***Servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.*** Messias autem, qui *obedienter* ad jussum tuum „*venit, non ut faceret voluntatem suam sed ejus qui misit eum, Patris*“ (Joh. 4, 34.) de exequendis mandatis tuis cogitat, ut „*adimpleatur, quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.*“ (Matth. 2, 17. Jerem. 31, 15.) Filius hominis non ad ullam aliam rem, quam ad implenda edicta tua spectat, qui locutus es per patrem meum: „***Principes*** *convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus.*“ (Ps. mess. 2, 1.) ***Nam*** **) ***et testimonia tua meditatio mea est.*** Tuae tantum obedientiae gaudium sentio et in obsequio erga te unum meum oblectamentum positum est. ***Et consilium tuum justificationes tuae.*** Voluntas Patris norma mihi et regula est omnium actionum; hujus voluntatis recordatione quum animum mihi

---

*) (Hebr. gam.) — **) (Hebr. gam.)

confirmo: inter res meas, ut videtur, jam nunc perditas; sincero fruor solatio.

Daleth. *Adhaesit* *) *pavimento* (in Text. Hebr: „*Leapher*" = „*pulveri*") *anima mea.* Quam consternatus sum! quam horreo aspectum infandae necis puerorum, qua nece me solum quaerunt! Quam luctus animum mihi gravat ob tantam atrocitatem facinoris! Tantum vita mea nondum sepulchro condita est et *cinere:* tam prope a cruentis interfectorum pugionibus absum! Sed ea quoque gratia *pulveri* adhaerere dicor, quia Filius hominis humana sua natura cum homine, qui „*pulvis est et in pulverem revertetur*" (Gen. 3, 19.) intime ut caput cum membris *cohaeret.* *Vivifica me secundum verbum tuum.* Ideo per Incarnationem meam cum toto genere humano („*pulvere*") cohaereo, ut mea Humanitas, peccati et corruptionis prorsus expers, omnibus mortalibus hac arctissima mecum conjunctione fructum meae vitae vitam aeternam tribuat. Noli ergo sinere, me in manus eorum, qui meam et cum mea vitam omnium quaerunt, cadere: sed, morti *vivificae* crucis devotum, cruci conserva. Ad hoc tuo ipsius oraculo obstrictus es, qui dixisti; me „*virgam*" fore, non quae statim solo inflectatur, sed quae „*egressura*" et pullulatura sit „*de radice Jesse.*" In illo alio etiam verbo spes meae sunt omnes, quod addidisti, me „*florem*" esse, non qui continuo flaccescat, sed qui „*ascensurus sit de radice ejus.*" (Jes. 11, 1.) *Vias meas* **) *enuntiavi.* Quum inter assiduas preces meas animum ab omni metu revoco, tuam simul misericordiam opemque *imploro*, ne invidia, quae jam nunc in me redundare coepit, consilium Incarnationis meae rescindatur. *Et exaudisti me.* Illi consilia pestis meae consociant: tu vero, solus saluti meae consulens, in tempore omnia pericula a me propulsabis. In praesentia misisti Angelum, cujus admonitu fuga in Aegyp-

*) (Hebr. dabékah.) — **) (Hebr. derakái.)

tam salutem peterem. (Matth. 2, 14.) *Viam *) justificationum tuarum instrue me.* Informa puerum me in observatione Legis tuae; et cum, ex Aegypto redux in patriam, duodecim annorum ero, tu instrues me viam tuam, quae me ductura est in urbem Jerusalem, ut, dies festos Paschae ibi acturus, sic *legem tuam*, Judaeo cuique adulto praescriptam, utpote „*Puer legis*" (hebr. naar thorah) adimplere possim. Haec est lex tua et „*ita oportet me esse in iis, quae Patris sunt.*" (Luc. 2, 49.) *Et exercebor in mirabilibus tuis.* In Templo cum Legis Doctoribus omnia, quae de restituenda salute hominum *mirabiliter* constituisti, meditabor et singula quaeque tam accurate, tam dilucide explicabo, ut, stupore sapientiae meae attoniti, *admirabilem* me voluntatis tuae interpretem sint admiraturi. *Dormitavit **) anima mea prae taedio.* Nondum periculis defunctus ero. Heu! quam acerbe afflictiones, tum divinitus quum humanitus mihi inferendas, laturus sum! Quantum moerorem capio, quum mente futuros cruciatus meos perpendo! Quam doleo, cogitans homines, postquam omnibus beneficiis a me cumulati fuerint, non se tenebunt, quin incitato furore contra innocentiam meam infestissima consilia ineant et in benignitatem meam immitissime saeviant! *Confirma me in verbis tuis.* Nolo tamen alibi, quam in tua fide, spem meam habere; quae tu de me promisisti, ea maxima mihi hortamenta animi erunt. Ante omnia anima mea dormitat i. e. pavet, quum Passionis meae mihi subit; sed quum re vera in summum rerum mearum discrimen vocabor: tum tu me erige prostratum desperatumque restitue seu sudoris plenum in monte oliveti seu in Calvariae horroribus. *Viam iniquitatis ***) amove a me.* Longissime quantulumque mendacium ab animo futuri non doctoris modo veritatis, sed „*Veritatis*" ipsius re-

*) (Hebr. dérek) — **) (Hebr. dalphah.) — ***) (Hebr. dérek schéker = „*viam mendacii*".

move! Prohibe, ne in conditore regni Veritatis et Justitiae *„pater mendacii"* et auctor cujusque sceleris, tum fallacia ministrorum mendacii, Pharisaeos dico, loci quid in me habeat. Quod secus qui possit fieri, quum tu missurus es me, qui *„benedicam Meis, ut convertatur, unusquisque a nequitia sua?"* (Act. 3, 26.) *Et de lege tua miserere mei.* Brevi quum ad praedicandam Legem tuam exiturus sum, largissimam veritatis tuae ubertatem mihi aperi, ut digne ac copiose de benignitate tua dicam; nam *viam *) veritatis elegi,* et omnis mendacii impatiens, conditor gentis veracissimae destructorque potestatis mendacii apparebo. *Judicia tua non sum oblitus* (hebr. Schivithi = *„statuo"*). In praedicando mihi semper persuadebo, quo modo tua tantum judicia in me finem suum habeant et auditoribus meis eadem judicia tua monstrabo: *„doctrina enim, quam ego traditurus sum, non erit mea, sed ejus, qui misit me."* (Joh. 7, 16.) Tua igitur mandata semper ante oculos proponam et ita firmiter ea *statuam,* ut nullae opes mendacii, nulla potestas tenebrarum *„columnam et firmamentum veritatis meae"* (1 Tim. 3, 15.) possint labefactare ne dicam evertere. Semper mihi reminiscar, me magnum Prophetam esse, qui a te promissus est (Deut. 18, 15.) et quem tu suscitabis, ut me audiant, et de quo dixisti: *„Ipsum audite!"* (Act. 3, 22.) *Adhaesi **) testimoniis tuis Domine.* A tua doctrina nulla res me possit avellere et in praedicatione mea ne minimum quidem a Lege et a Prophetis dissidebo, nisi quod eos adimpleturus venero. *Noli me confundere.* Noli permittere, ut spe mea excidam, quia non diffido, *„testem populis te me daturum esse, ducem ac praeceptorem gentibus"* (Jes. 55, 4), cujus doctrina nullo humani ingenii acumine convellatur, nullis hominum Sapientiae commentis possit *confundi.* *Viam ***) mandatorum*

*) (Hebr. dérek.) — **) (Hebr. dabacthi.) — ***) (Hebr. dérek.)

tuorum cucurri. Summa animi alacritate ac prompto ingenio impigre hic illic de mandatis tuis docebo, huc illuc *properabo*, hominibus aegris animi laetum meum nuntium adportare. *Cum dilatasti cor meum.* Ita tamen *cursum* meum propheticum feliciter aggrediar adgressusque perficiam, si, ubi totum me ad explanationem voluntatis tuae contulero, tu cor *amplum* mihi largitus fueris animumque intrepidum infuderis, qui invicto erga omnes omnium aetatum gentes amore moveatur. Hoc si adeptus ero, ut *impavida* mente curriculum „*Prophetae*" adgredi possim, tandem non solum Judaei ob constantiam praedicationis meae „*servient Domino Deo suo et David Regi suo, quem suscitaveris eis,*" (Jerem. 30, 9) sed „*gentem etiam, quam nesciebam vocabo; et gentes*" (ad quas *curram* praedicatum) „*quae me non cognoverint, ad me c urrent propter te et Sanctum Israël*" (Messiam) „*quia glorificabis me*" prospero Evangelii successu. (Jes. 55, 5.)

Ad Tertiam,

(in qua Christi „Prophetae" praedicaturi vita exponitur, ideoque in haec verba orditur):

He. *Legem pone mihi* *) *Domine viam justificationum tuarum.* Mirifice, Pater! ego Propheta tuus Legem tuam amplexor. Quum igitur profecturus sim, hoc praedicatum: *Adpropinquavit regnum coelorum*" (Matth. 4, 7) — tu tuam Legem ut viam munitam mihi expedi, qua ad finem, Prophetae tuo propositum, contendam. Cave, precor! ne alio quo animus meus ducatur, quam ad reseranda arcana Legis tuae mysteria. *Et exquiram eam semper.* Hoc unum

---

*) (Hebr. horéni.)

Prophetae tuae explorare interest, qua ratione in omni statu rerum tua voluntas non praedicetur modo, sed potius per omnia fiat. Ergo triginta annos natus, opus meum suscipiam et, ut dignitati meae initier, *„veniam a Galilaea in Jordanem ad Johannem, ut baptizer ab eo: sic enim decet nos implere omnem justitiam quam exquiram ego semper.“* (Matth. 3, 13 et 15.) ***Da mihi intellectum *) et scrutabor Legem tuam.*** Baptizatus a Johanne te oro, ut des mihi *„Spiritum intellectus et scrutans Legem tuam, ita tibi visum esse intelligo, ut „videam coelos apertos“ et mysteria eorum revelata, et ut Spiritus intelligentiae descendat et maneat in me.“* (Marc. 1, 10.) Unctus igitur Spiritu sancto, Propheta tuus sub initium praedicationis suae illud obsecrat, ut Legem tuam perspectam habeam et annuntiem. Nunc scrutanti Legem tuam mihi apparet, *„me fore sapientem et facturum esse alios sapientes et docturum Davidem tuum justitiam in terra et hoc esse nomen, quo me vocaturi sunt: Dominus Justus noster.“* (Jerem. 23, 6.) ***Et custodiam illam in toto corde meo.*** Principio statim operis mei, legem tuam, cujus Majestas ab Adamo minuta est, conservaturus, toto corde id opto, ut, quia Adam non legi tuae, qua libidini temperare jussus est, sed suae cupiditati cessit, virtutem unctionis meae obsequendo voluntati tuae ostendam, et, quum illum appetitus carnis peccato obligavit, sic virtus *„Spiritus fortitudinis“* Satanam ipsum superabit. ***Deduc me **) in semitam mandatorum tuorum.*** Toto corde vias consilii tui sequor et ad jussum tuum facile patior me a Spiritu *duci* in desertum. Meus enim Spiritus, cujus virtute in Jordane unctus sum, descendere avet ad certamen cum spiritu concupiscentiae et me tanta constantia armat, ut ille, ab Adamo secundo victus, discedat. Quod ut assequar, in semitam mandatorum tuorum abire debeo; et, quemad-

---

*) (Hebr. habiéni) — **) (Hebr. hadrikéni.)

modum ex tua auctoritate figurae meae, Moyses tuus et Elias quadraginta dies ac noctes jejunaverunt, sic ego eandem semitam mandatorum tuorum adgrediar. *Quia ipsam volui.* Viam tuae voluntatis ante omnia eligo: „*Spiritus enim, qui manet in me et Pater, qui in me complacuit*" (Marc. 1, 11), nulli cupiditati locum in me relinquunt et ego nulla prorsus ignavia tentatori aditum nefariae spei praeparabo, sed quum „*accedens dixerit: Si filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant*" Spiritus meus me impellet, ut tuam, Pater! non Satanae voluntatem *praeferam* et „*respondens dicam: Volo legem Patris, in qua scriptum est: Non in solo pane vivet homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei Patris mei.*" (Deut. 8, 3. Luc. 4, 4.) *Inclina *) cor meum in testimonia tua et non in avaritiam.* Iterum „*quum adsumserit me diabolus in montem excelsum valde et ostenderit mihi omnia regna mundi et gloriam eorum et dixerit mihi: Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*": tum fuga *avaritiae* et rerum inanium praesto sit contemtio, ut fortitudine Spiritus mei dicam: Vade Satana! Ceterum quoniam voluntas mea ad „*tuam, Pater! legem inclinata est, idcirco hoc etiam respondebo: „Scriptum est*" in libro Patris mei: „*Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.*" (ibid. 4, 8.) *Averte **) oculos meos, ne videant vanitatem.* Noli permittere, ut, procul a cognitione consiliorum tuorum remotus, animum ad gloriae vanitatem et inanem ostentationem virtutis meae convertam, cum „*Satanas me assumet in civitatem sanctam et statuet me super pinnaculum Templi*" et ad praebendum *vanum* spectaculum volet me exhortari dicens: „*Si filius Dei es, mitte te deorsum!*" Vana etiam et falsa verborum tuorum interpretatione quum me lacesset: tu me adjuva, ne propter vanum virtutis meae documentum vanis vulgi sermonibus ferri gaudeam, sed divina veritate diabolicam

*) (Hebr. hat.) — **) (Hebr. haaber.)

fraudem retundam, dicens: „*Non tentabis Dominum Deum tuum.*“ (Matth. 4, 7.) *In via tua vivifica me.* Praesta, quaeso, ne ad primi instar Adami, qui tentationi succubuit et, quum ab obsequio tuo deflexisset, causa communis mortis exstitit, ego eadem via ab eodem tentatore superer, sed contra illud mihi tribue, ut, te tuoque Spiritu bene me adjuvante et *confirmante*, superior discedens, mihi Meisque veram *vitam* comparem. In via tua te vivificare me operae pretium est, namque inter hanc et quae in Paradiso facta est, tentationem tantum differt, ut, quemadmodum illinc mors ad omnia venit, sic hinc *vita* ad omnes emanet aeterna. *Statue *) servo tuo eloquium tuum in timore tuo.* *Praesta* prommissum tuum, quod dedisti, si, in observantissima erga te verecundia persistens, magno et forti animo omnia mandata tua ero exsecutus.

*Amputa **) opprobrium meum, quod suspicatus sum.* Tua ope non committam, ut, tentatori aures secundas praebens, cum summo *probro* meo cupiditati assentiar. Victo autem Satana aliam praeterea ignominiam, qua mox Nazarethanos me affecturos esse suspicor, a Propheta tuo demove, atque et ipsi experiantur „*Spiritum Domini esse super me, propter quod unxeris me, evangelizare pauperibus miseris me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et caecis visum.*“ (Luc. 4, 18. Jes. 61, 1.) In Nazareth quoque, ubi ita memoriam patriae deformant inquinantque, ut „*surgant et (turpiter!) ejiciant me extra civitatem et ducant Prophetam super supercilium montis, ut (foede!) praecipitent me*“ (Luc. 4, 29): Praecide spem ingratorum et ita *indignitatem* istam a me averte, ut intactus et sospes „*transiens per medium illorum eam*.“ (ib.) *Quia judicia tua jucunda.* Quid turpitudini meae fieri possit, quum semper a me deliberata et multum sit agitata tua voluntas, qua sola dies ac noctes *ducor et*

---

*) (Hebr. hakém.) — **) (Hebr. haabér.)

oblector? Quamquam tentatio diabolica et hominum ingenia violenta dolosave me excercent, tuae tamen spectatissimae sententiae *dulcissimam spem* praebent, te Prophetae tuo pie prospecturum esse. Ad hoc praedem te ipsum adhibeo, qui dixisti: „*te positurum esse os meum quasi gladium acutum*" (quo insanos inimicorum impetus intercidam); qui pollicitus es, „*te me positurum esse sicut sagittam electam*" (qua transfigas multiplicia ministrorum mendacii commenta); qui promisisti, „*te in pharetra me absconditurum esse*", (ut in omne tempus habeas, cujus ignea veritatis tela in nefarios satellitum mendacii incursus mittas). [Jes. 49, 2]

Ecce*) concupivi mandata tua, in aequitate tua vivifica me. Unice voluntatem tuam diligo, neque ulla re ad haec consilia tua perpetranda segnis fieri queam, quibus mandatis pro clementissima aequitate tua universis *pariter* et omnibus populis *aeque* me praedicare jussisti. Igitur languentem me prae desiderio decretorum tuorum *revoca*, ut prior ipse a te vivificatus et inspiratus, alios etiam recreem et Evangelii solatiis primum rebus hominum undique calamitosis medear, deinde adimpleam, quod mandasti, ut etiam „*populus, qui hucusque ambulabat in tenebris, videret lucem magnam et habitantibus in regione mortis oriretur lux, quae illuminaret omnem hominem venientem in hanc mundum.*" (Jes. 9, 2. Matth. 4, 16. Joh. 1, 3.)

Vau. ***Et veniat **) super me misericordia tua Domine! salutare tuum secundum eloquium tuum.*** Veniat haec infinita tua misericordia, et divinitus Prophetae tuo detur et offeratur, quod misericorditer olim promisisti, te aequa benignitate Messiam praedicatorem tuum usque eo prosecuturum esse, ut *secundum eloquium tuum* „*ambulent etiam gentes in lumine tuo et reges gentium in splendore ortus Evangelii tui.*"

---

*) (Hebr. bianóh.) — **) (Hebr. vibouni.)

(Jes. 60, 3.) Eadem misericordia tua motus circumspice, si quae mentes verbum tuum capere possint et *salutare* Evangelii tui accipiant. „*Leva*“ (secundum eloquium tuum!) „*in circuitu oculos tuos et vide, qui congregati sint et venerint tibi*“: nam plurimos per misericordiam tuam idoneos esse novi, qui facili negotio ad Evangelium meum se accommodent). Movere misericordia tua, ut per Evangelium meum „*filii tui de longe veniant et filiae tuae de latere surgant.*“ (Jes. 60.) Veniat, quaeso, misericordia tua, ut laetus „*videam et affluam, miretur et dilatetur cor meum, quando conversa fuerit ad me multitudo maris, fortitudo gentium venerit mihi*“, quando mirabundus dicam: „*Magna est fides tua*“, (Matth. 15, 28.) aut: „*Non inveni tantam fidem in Israël.*“ (id. 8, 10.) Veniat mihi haec misericordia, ut Prophetae tui verbum etiam ultra fines Judaeae, ubi paratos animos inveniam, pervadat — secundum eloquium tuum, qui edixisti, ut „*me insulae exspectarent et naves maris in principio, ut adducerem filios tuos de longe et ut filii peregrinorum*“, (Evangelio meo conversi) „*aedificarent muros Jerusalem et reges eorum ministrarent regno*“ coelorum. (Jes. 60, 10.) Hunc igitur gloriosum exitum Praedicationis meae intuens, unctus „*Spiritu Veritatis*“ (Joh. 15, 26) et tuo verbo armatus, ad evangelizandum exibo. Et semel quum praeco Misericordiae clamaverit, latius in dies nuntius clementiae tuae afferetur et „*aperientur portae tuae jugiter, die ac nocte non claudentur, et afferetur ad te fortitudo gentium et reges eorum adducentur.*“ (Jes. 60, 11.) Secundum promissum tuum te misereat, ut in omnes partes *salubre* verbum meum propagare incipiam, ut, divina vi veritatis meae impulsi, „*veniant ad te curvi filii eorum, qui*“ (ad id locorum) „*humiliaverunt te et adorent vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi.*“ (ibid. v. 15.) Veniat tandem ex bonitate tua id quoque beneficii, ut, quamquam omnium fere ingenia perversa falsisque institutis imbuta sint, *saluberrimo* tandem verbo meo ad sanitatem meae Doctrinae coelestis praeparentur. *Et respon-*

debo) exprobrantibus mihi verbum.* Quum tua misericordia, quam praedicabo, Gentes et peccatores etiam amplectatur, *„oculus invidorum nequam est“* (Matth. 20, 15) et Misericordiae Dei angustos invidiae suae limites circumscribere volunt. Ego vero exprobrantibus et dicentibus Pharisaeis: Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester? respondebo: *„Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Euntes autem discite, quid est:* M i s e r i c o r d i a m *volo et non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.“* (Matth. 9, 11.) Quum gentibus et publicanis vocationem meam invidebunt et tuam misericordiam universis patere moleste ferent et *„murmurabunt dicentes: Hos novissimos pares nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et aestus — ego respondebo his exprobrantibus mihi verbum: Non facio vobis injuriam: nonne ex denario convenistis mecum? Tollite, quod vestrum est et vadite, volo autem et his novissimis dare sicut et vobis. Aut non licet mihi, quod volo facere? an oculus vester nequam est, quia ego bonus sum?“* (Matth. 20, 13.) Alias murmurantibus Pharisaeis et Scribis et dicentibus: Quia hic peccatores recipit, respondebo iis parabolam istam dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto et vertit ad illam, quae perierat, donec inveniat eam? *„Aut quae mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam: nonne accendit lucernam et everrit domum et quaerit diligenter, donec inveniat? Ita dico vobis: Gaudium erit coram Angelis Dei“* m i s e r i c o r d i s s i m i super uno peccatore poenitentiam agente. (Luc. 15, 2.) Vos vero Pharisaei et Scribae estis *„filius ille senior in agro;“* vos enim, cum *„venitis et appropinquatis domui“*, quo Patris mei filios conversos cogo, et *„auditis symphoniam et chorum“* evangelizatorum, vos *„indignamini et nolite introire“* et coelis ac terrae

---

*) (Hebr. véáneh.)

invidetis gaudium, quia *„fratres vestri“* h. e. peccatores et gentiles, *„qui mortui erant, reviviscunt et, qui perierant, inveniuntur.“* (Luc. 15, 25.) Respondebo exprobrantibus mihi verbum: et si in Nazareth, de misericordia tua, quae undique Suos eligat, disserens, graviter castigabor, dicam: *„Quia non est propheta in honore nisi in patria sua et in domo sua et in cognatione sua.“* (Marc. 6, 8.) Si, *misericordia* tua motus, ex misere obsessis daemones ejiciam, invidi isti in me invehentur ut non ejicientem daemonia nisi in Beelzebub principe daemoniorum, respondebo: Omne regnum divisum contra se desolabitur, et si satanas satanam ejicit, adversus se divisus est: *„Quomodo ergo stabit regnum ejus? Si autem ego in Spiritu Dei“ misericordis „ejicio daemones, igitur pervenit in vos regnum Dei“*, quo in regno per misericordiam Dei non ultra miseri isti crucientur. (Matth. 12, 25.) Invidis istis, qui non alienis tantum *misericordiam* Dei invident, sed suis etiam cum livore animi debita dant, quum me vituperatori interrogaverint: Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas, cum panem manducant — respondebo ego verbum: Quare et *„vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem et matrem: vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri vel matri: Munus quodcunque est ex me, tibi proderit, et non honorificabit patrem suum aut matrem suam. Hypocritae! bene prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me ...“* (Matth. 15, 1.) Legisperito illi, sed *misericordiae* tuae prorsus imperito, qui *„surrexerit tentans me dicens: Magister! quid faciendo vitam aeternam possidebo? ego respondebo: In Lege quid scriptum est? quomodo legis? et ultro respondebit: Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis et proximum tuum sicut te ipsum: Dicam illi: Recte respondisti, hoc fac et vives. Ille autem volens justificare se ipsum“* sine *misericordia*,

quum *„dixerit ad me: Et quis est meus proximus?“* fortasse etiam gentiles et peccatores? exemplo meo Samaritani *misericordis* error ejus convincetur. (Luc. 10, 25—35.) Veniat super me misericordia tua et salutare tuum: et dicam peccatori paralytico: *„Fili! dimittuntur tibi“* per *misericordiam* Dei *„peccata tua.“* Quum vero quibusdam Pharisaeorum occulta odia erumpent et viam ad accusandum me sibi pandere conabuntur dicentes: Quid hic loquitur? blasphemat! quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? — ego respondebo illis: Quid ita *„cogitatis in cordibus vestris“* lividis, quasi mali quid fecerim? *„Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, dico paralytico: „Surge!“* nam misericordiam Dei ante invidiam hominum mirificare libet *„tolle grabatum tuum et vade in domum tuam.“* (Marc. 2, 6.) Ipsi Petro, quum, *„apprehendens me coeperit me increpare, quod“* misericordia tua impulsus, etiam mori pro hominibus paratus essem, *„conversus ego comminabor dicens: Vade retro me satana! quoniam non sapis, quae Dei“* misericordis *„sint, sed quae sunt hominum“*. (Marc. 8, 33.) Sic pro loco et tempore alios aliorum tentatus propulsabo, ut eos, qui me sequuntur, non irritos spei esse intelligant et magnificent Patrem dicentes: *„Quia Propheta magnus surrexit in nobis et quia Deus“* misericordia inflammatus, *„visitavit plebem suam.“* (Luc. 7, 16.) ***Quia speravi in sermonibus tuis.*** Non mirum, si criminibus eorum, quorum invidiam habebo, confidenter respondebo; spero enim in tuis sermonibus, quibus ita mihi ipse persuasi, ut *„judicem in justitia pauperes et arguam in aequitate pro mansuetis terrae et percutiam terram virga oris mei et spiritu labiorum meorum interficiam impium.“* (Jes. 11, 4.) ***Et ne *) auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque.*** Ego Propheta sum major Moyse, me audire jussi sunt, (Luc.

*) (Hebr. veál.)

9, 25): ergo noli ori meo subtrahere eam, quam audiant, veritatem; hanc enim solam praedicabo. Licet etiam errore tam saevo et infesto lividi animi inflentur, ut ipsa veritas mea capitale mihi futura sit: nihilo minus tam verax, tam studiosus tuae veritatis apparebo, ut nulla auctoritas tam ampla, nulla pericula tam formidabilia sint, ut ab aperte praedicando Veritatem tuam me deterreant. Apud Pharisaeos et eorum similes noli me arcere, quin apertissima libertate et palam (quia hoc verum est!) octies eos hypocritas esse confirmem (cf. Matth. 23, 13. 34), quia „*claudunt regnum coelorum ante homines, quia ipsi non intrant nec introeuntes sinunt intrare*", (ib. v. 13) quia „*quae graviora sunt Legis, judicium et misericordiam et fidem, relinquunt.*" (ib. v. 23.) At contra totidem laudibus efferam eos, qui, toti ab illis diversi, simplicitati cordis et *misericordiae* student. (Matth. 5.) ***Quia in judiciis tuis supersperavi.*** Qui falsas et invidas hominum voces timeam, dum Propheta tuus in tua tutela ac tuae providentiae praesidio ita secure latet, ut „*justitiam tuam non abscondat in corde suo et veritatem a consilio multo?*" (Ps. 39, 11.) Hoc ipsum verbum tuum semper ad revocandam fiduciam perfectum erit, ut in judiciis tuis supersperem. ***Et custodiam *) legem tuam semper.*** Quum vel maxima impedimenta praedicationi meae objecta fuerint: singulari tamen patientia omnia me superaturum esse spero, quippe qui nihil aliud laborem, quam ut, quum misericordia infinita sit, doctrina prophetae tui, qui tuo jussu exiit, quam latissime diffundatur. Super hoc hanc legem tuam habeo, ut „*videant insulae et timeant, extrema terrae obstupescant, adpropinquent et accedant*" ad audiendam Doctrinam meam. (Jes. 41, 4.) ***Et in saeculum saeculi.*** Misericordia tua nec locorum nec temporum spatiis definiri potest. Itaque in omnes etiam aetates hanc legem tuam observabo, ut

---

*) (Hebr. veaeschmeráh.)

regnum Veritatis tuae tempore augescat et doctrina prophetae tui magis magisque „*usque ad insulas et extrema terrae*“ clarescat. ***Et ambulabam *) in latitudine.*** In tuto primum Judaeae amplos et *patentes fines*, ubi maxime in aperto spatium praedicandae meae disciplinae et miraculorum erit, peragrabo. Longe *lateque* „*circuibo totam Galilaeam, docens in Synagogis eorum et praedicans evangelium regni.*“ (Matth. 4, 23.) Ambulo in latitudine et „*abiit opinio mea in totam Syriam et sequentur me turbae multae de Galilaea, de Decapoli et de Jerusalem et de Judaea et de trans Jordanem*“ (Matth. 4, 23 et 25.) Tutus autem et inviolatus ambulo non tam quod existimatio Prophetam tuum defendit, sed quia a te nihil auxilii mihi deest. ***Quia mandata tua exquisivi.*** Is enim mihi animus est, non ut decedam instituto meo, sed ut, quae de Messia tuo decrevisti, ea jam ad exitum suum perducam. Istud autem mandatum tuum exploro, ubi statuisti, ut tempore statuto nunc „*cantetur canticum in terra Juda: Urbs fortitudinis nostrae Sion salvator! aperite portas et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem, vetus error abiit.*“ (Jes. 26, 1.) ***Et loquebar **) de testimoniis tuis in conspectu regum.*** Cursu praedicationis, quem ego ipse nunc a primordio Evangelii mei adgredior, et quo in futurum jussu tuo per Apostolos meos ad *reges* et nationes eorum tui, Pater! nominis augendi et tuae voluntatis explanandae causa contendam, de tuis tantum testimoniis loquar et iterum iterumque dicam: „*Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me*“. (Joh. 7, 16) Regnum veritatis meae ad omnes reges extendetur — universale, catholicum erit; namque „*in omnes gentes primum oportet praedicari Evangelium.*“ (Marc. 13, 10.) Ceterum pro *regibus* jam nunc mihi sunt non solum, qui sceptra gerunt et regna obtinent, sed ii vel praecipue, qui habent illud, quod in

---

*) (Hebr. veaethhalekáh.) — **) (Hebr. vaadaberáh.)

omni vitae fortuna *regnat*, fidei meae firmitatem dico. Hanc enim qui habent, horum „*fides vincit mundum*“, (1. Joh. 5, 4) hi regnant, his tantum potestatis tributum est, ut si „*credens quis dixerit monti: Tollere et mittere in mare, et non haesitaverit in corde suo, sed crediderit quia, quodcunque dixerit*“ (imperaverit) „*fiat, futurum sit ei.*“ (Marc. 11, 12.) Qui meam disciplinam sequi recusant et qui fidem meam amplexantur, hoc inter se abhorrent, quod hi, qui „*manserint in sermone meo, cognoscent veritatem et veritas liberabit eos*“ (Joh. 8, 32) et quod hos, qui per fidem meam „*regale Sacerdotium*“ effecerint, (1. Petr. 2, 9. Apoc. 5) „*super omnia bona mea constituam*“ (Matth. 24, 47), donec tandem „*venient in regnum Patris mei et possideant illud, paratum eis a constitutione mundi*“ (Matth. 25, 31): illi vero, qui Doctrinae meae obsequium detrectant, justum et aeternum servitium patientur. *Et non confundebur.* Non pudefiam, habebo enim, quod volo et illud mihi bene ac feliciter eveniet, ut jam jamque vel reges terrae summo Regi tuo obedienter pareant nec dubitent se submittere Christo et supplicare magno Rabbi, qui „*docet quasi potestatem habens*“ (Marc. 1, 22.) et cui „*data erit omnis potestas in coelo et in terra.*“ Ut ante Pilatum praesidem libere de me professus ero: ita, si vicarii Prophetae magni ante praesides et *reges* stabunt, non praecogitabunt, quid loquantur, sed Spiritus Patris eorum, quo Filius hominis unctus est, loquetur in eis et „*ego dabo eis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii eorum.*“ (Luc. 21, 15.) Non confundar, „*scient enim omnia ligna regionis*“ (reguli), quia Dominus humiliavit lignum sublime“, (omne genus potestatis) „*et exaltavit lignum humile et siccavit lignum viride et frondere fecit lignum aridum*“ et Evangelio meo modestissimo auctum mirabilem praebere statuit. (Ezech. 17, 13.) Quum tali spe animum erigo, nil mihi verendum est, ne pudori mihi futurum sit; qui enim nunc opibus pollent reges terrae, aut ipsi humiliter mihi sacramentum dicent servituri,

sunt, si obsequi mihi recusarint, a *„Rege Regum, a Domino Dominantium“* (Apoc. 19, 16.) confusum iri certo scio. *Et meditabor* *) *in mandatis tuis, quae dilexi.* His jussis tuis maximo opere me oblectabo; neque ita multo post ultra fines Judaeae ad omnes, quae ubique sunt, gentes et *reges* jussu tuo Evangelium Prophetae tui afferetur. Hoc enim laetum mandatum mihi dedisti dicens: *„Ecce! dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.“* (Jes. 49, 6.) Quam laetor, apud animum meum cogitans, *„audientes gentes gavisuras esse et glorificaturas verbum meum.“* (Act. 13, 47.) *„Quotquot enim praeordinati erunt ad vitam aeternam, credent et disseminabitur verbum Domini per universas regiones,“* (Act. 13, 48) et ad reges terrae. *Et levavi* **) *manus meas ad mandata tua.* Has voluptates, quas animus meus ex conversione omnium aut certe plurimarum gentium et *regum* terrae capiet, quum reputo: porrectis manibus in complexum sanctissimae, cujus ardentissimo desiderio teneor, voluntatis tuae propero. Tua, Pater! praecepta ut rem mihi longe exoptatissimam avide complector usque ad crucem, in qua *extentis et ad te elevatis*, velut ad nutum tuum obviis manibus, voluntatem tuam excipiam. *Et exercebor in justificationibus tuis.* Etiam si plurimum laboris in praedicando nomine tuo erit et licet propter veritatem *justifici* consilii tui multum exercebor: tamen mens mea nunquam voluntati tuae deerit. Nam meditabor assidue de tua justitia et maxima cum cura de statutis tuis cogito, quibus juste ac aeque sancitum est, ut pariter „omnes *gentes et linguae veniant et videant gloriam tuam et ponas in eis signum et mittas ex eis, qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam et Lydiam tendentes sagittam“* verbi mei, *„in Italiam et Graeciam, ad insulas longe ...“* (Jes. 66, 19.) Quoties igitur labores me

---

*) (Hebr. veaeschthaascha.) — **) (Hebr. veaeesa.)

fatigant, memor horum mandatorum et aequitatis tuae, qua aequa benignitate ac pari clementia non Judaeis solum, sed omnibus gentibus misericordissime consulis, statim animo ab omni dubitatione collecto, tibi soli servire mihi gaudio esse coepit.

Sain. *Memor esto* *) *verbi tui servo tuo.* Singulari, qua in Servum tuum affectus es, voluntate, recordare promissi tui, ubi pollicitus es, in conspectu regum et nationum praedicatum iri, ne multa! verbum meum catholicum fore pollicitatus es. Dixisti adhuc: „*Mittam ad eos, qui non audierunt de me et non viderunt gloriam meam; et annunciabunt gloriam meam gentibus et adducent de cunctis gentibus donum Domino.*" (Jes. 66, 19.) Igitur memor esto verbi tui, quo dixisti, quam praeclaro eventu Evangelium meum decorandum sit: „*Locutus es enim, me*" (verbo meo humilitatis) „*incurvaturum esse habitantes in excelso*" (quicunque, elatius de se sentientes, modestiam meam repudiant) „*et civitatem sublimem*", (omnem potestatem hujus fastuosi saeculi) „*me humiliaturum esse*" cum regibus eorum. Memor verbi illius concede, ut verbo meo „*humiliem civitatem sublimem usque ad terram, detraham eam usque ad pulverem et conculcet eam pes pauperis*" (Servi tui) „*et gressus egenorum*" (pauperum in Spiritu et Apostolorum humilium). [Jes. 26, 5—7.] *Haec* **) *me consolata est in humilitate mea.* Fiducia, quam in veritate promissorum tuorum, menti bene mihi infixorum, colloco, onus praedicandi minuit et recordatione eorum animus ab omni molestia laboris se recipit. *Quia eloquium tuum vivificavit me.* In ipsa praedicationis meae miseria animum colligo, quum illud edictum tuum in memoriam revoco, quo Evangelium meum ad omnes partes terrae pertinere voluisti, ita ad me dicens: „*Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob et faeces Israël con-*

---

*) (Hebr. sekór.) — **) (Hebr. soth = „*hoc*".)

vertendas: ecce! dedi te in lucem gentium" (Jes. 49, 6.) et nationum omnium, quarum mentibus haerebo. Si Israël, doctrinam meam respuens, animum graviter mihi vulnerat; hoc tamen nihil probibet, ne illud eloquium tuum me refoveat, quo, ut pro nomine Israël Meis nomen Christianis detur, mandasti dicens: „*Servos meos vocabo nomine alio.*" (Jes. 65, 15.) *Superbi* *) *inique agebant.* Insolentes legum tuarum contemtores, qui, vel Pharisaeorum vel Sadducaeorum et Herodianorum vel philosophorum auctoritate innisi, usque adeo nihil omnino de verbo humilitatis meae laborant, ut ne miraculorum quidem beneficiis, quae doctrinam meam benevolentissimam confirment, placentur, sed dementia aliqua *superbiae* depravati, *fastuosa* voluntate perditi, verbum mansuetudinis meae fastidiant, immo! proterve jam insultent in Messiam circumeuntem universam Pentapolim: istos contemtores benignissimae meae facilitatis satias capit. Superbi animos adeo angustos habent, ut prae fastu gentibus *non aeque* ac sibi doctrinam coelestem tribui posse negent et ingentem injuriam Vocatis meis inferre conentur: adeo jam nunc superbi Catholicismo succensent et per scelus aliis Evangelium invident! *Usquequaque.* Quoniam autem nimia et immodica animorum intemperantia praeconem veritatis repudiare audent, ad suam ipsorum calamitatem id faciunt, nec possum, quin exclamem: „*Vae tibi Corozaim! vae tibi Bethsaida! quia si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes poeniterent!*" (Luc. 10, 13.) „*Et du Capharnaum! usque ad coelum exaltata*", quae insolenter et plus nimio Doctorem humilitatis respuisti, „*usque in infernum demergeris.*" (ib. 15.) *A lege autem tua non declinavi.* Neque eo secius, quia lege tua ita sancitum est, virtutes meas et beneficia mea in eos conferre non desisto. Tu enim statuisti, ut „*Deus ipse veniat et salvet eos, ut aperian-*

---

*) (Hebr. seddim.)

tur oculi caecorum et aures surdorum pateant, ut saliat sicut cervus claudus et aperiatur lingua mutorum." (Jes. 35, 4. Matth. 11, 5.) Nominatim autem ab ea lege non deflectam, qua cautum est, ut in Nazareth et Capharnaum, urbibus tribus Zabulon, item in Corazim et Bethsaida, urbibus tribus Nephthali ad tempus verser, „*ut adimpleatur,*" quod dictum est a te per Isaiam prophetam: „*Terra Zabulon et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem*" (ubi Bethsaida et Corozaim sitae sunt) „*Galilaea gentium, populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam et sedentibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis.*" (Matth. 4, 14. Jes. 9, 1.) ***Memor fui*) judiciorum tuorum a saeculo Domine et consolatus sum.*** Quum illas civitates doctrinae meae taeduerit: tuae tamen sententiae, a temporibus inde antiquis de Propheta tuo latae, mihi maximae consolationi sunt; tu enim terminos meos non intra istarum urbium fines fixisti, sed ita olim de re mea catholica locutus es: „*Noli timere, quia ego tecum sum; ab oriente adducam semen tuum et ab occidente congregabo te. Dicam Aquiloni: Da! et Austro: Noli prohibere! affer filios meos de longinquo et filios meos ab extremis terrae.*"(Jes. 43, 5.) ***Defectio **) tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.*** Nil aeque dolet, quam veritatem et lucem doctrinae meae coelestem, ultro oblatam, ut exilem, quin immo! ut detestabilem repudiatam a peccatoribus! Totum pavor ac trepidatio me capit et totus contremisco, quoties poenarum mihi in mentem venit, quas contemtores Evangelii mei suscepturi sint. Dolentissime res eorum, in aeternum desperatas, deploro exclamans: „*Vae vobis!*" (Luc. 10, 13.) Hinc animus meus aegritudine calet propter superbos, qui verba mea audire et virtutes meas accipere gravantur. ***Cantabiles ***) mihi erant justificationes***

*) (Hebr. sakarthi.) — **) (Hebr. saljaphah.) — ***) (Hebr. semiroth.)

tuae. Hujus etiam repulsae solatium in decretis tuis quaero, a recordatione voluntatis tuae doloris mei medicinam peto atque animo paene me deficientem consiliorum tuorum memoria ita exhilarat, ut in laetissimum illud *canticum* simul cum mea, quae mihi futura est, Ecclesia, erumpam: „*Gaudens gaudebo in Domino et exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis et indumento justitiae circumdedit me, quasi sponsam decoratam corona.*" (Jes. 54, 12.) Ejiciant me in his ingratis regionibus: Patris lex tamen mihi jubilo est, qui praecepit, ut, „*quemadmodum terra profert germen suum et sicut hortus semen suum germinat: sic Dominus Deus germinet justitiam meam et laudem coram universis gentibus.*" (Jes. 61, 10.) Jucundissimae profecto et cantabiles mihi sunt justificationes tuae, quas, quum a Judaeis indigne verbum meum repudiatum sit, jam in exteras regiones a Discipulis meis afferentur. Tuis verbis Gentilitatem ad cantum et jubilum ita exhortor: „*Lauda Sterilis; quae non paris, decanta laudem et hinni, quae non pariebas: quoniam multi filii desertae magis, quam ejus, quae habet virum, dicit Dominus.*" (Jes. 54.) Efferor gaudio de decretis tuis, qui de re mea *catholica* ita dixisti: „*Dilata locum tentorii tui et pelles tabernaculorum extende! ne parcas: longos fac funiculos tuos et clavos tuos consolida!*" (Jes. 54, 12.) Vos quidem Pagani macti virtute estote! ad vos enim Evangelium, quod Israël contemnit, afferetur. *In loco peregrinationis meae.* In ipsa domo Israël, quam Propheta tuus „*homo ille peregre proficiscens*" (Matth. 25, 14.) praedicans peragrat, quamquam contemtu et indignitate male habetur: tamen plenus solatii est, quum animo prospicit, quam egregium fructum hujus humilitatis capturus sit. *Memor fui* *) *nocte nominis tui Domine.* Quum tempus angustiae et *atra nox* adversitatum mihi instat; quum errorum, quibus

*) (Hebr. sacarthi.)

„*princeps tenebrarum*“ mundum obrutum habet, *caligo* oritur; quum denique mens hominum *coecata* „*lucem mundi*“ fugit atque adeo lumen veritatis meae exstinguere student: tum admoneor laudis et nominis tui „*Altissimi*“: quem quis humiliare possit? „*Potentissimi*“: cujus potentiam quis minuat? „*Patris luminum*“ (Jac. 1, 17.): cujus veritatem clarissimam quis suscipiat exstinguendam? *Et custodivi legem tuam.* Hoc autem laboribus meis pugnatur, ut tua lex servetur et ut ex atris aerumnis tanquam ex nocte quadam turbulenta emersus, velut sidus splendidum oriar et lumen meum in tenebras saeculi effundam. *Oportet* ita fieri; ego enim sum „*Stella matutina*“ (Apoc. 22, 16.) et „*ego constitutus sum rex a te super Sion, praedicans praeceptum tuum*“ custodiens *legem* tuam. (Ps. mess. 2, 7.) *Haec* *) *facta est mihi, quia justificationes tuas exquisivi.* Hoc meum, hoc mihi proprium est, ut semper voluntati tuae vacare velim et legis tuae et ipse studiosus observator sim et alios ad sequendam voluntatem tuam adhorter.

Cheth. *Portio mea* **) *Domine!* O praeclaram *sortem* meam! si meo erga te obsequio reges terrae, totam gentem humanam, tenebris mendacii ereptam, in veritatis tuae claritatem reduxero! Cernens animo gloriosissimam hanc operae meae mercedem felicissimum me praedico. Quo fit, ut visione, quae Danieli oblata est, quid proemii Prophetae tuo obventurum esset, vehementer, supra quam fingi dicique potest, oblecter. Nam „*aspexit in visione noctis et ecce! cum nubibus coeli quasi filius hominis*“ natus ex Maria Virgine „*veniebat et usque ad Antiquum dierum*“ te Patrem „*pervenit. et in conspectu tuo obtulerunt me. Et dedit*“ Pater „*mihi postestatem et honorem et regnum; et omnes populi, tribus et linguae mihi servient; potestas mea potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum meum,*

---

*) (Hebr. soth.) — **) (Hebr. chelki.)

quod non corrumpetur." (Dan. 7, 18.) Hanc ergo *portionem* eximiam cum contemplor: quam prompto animo legi tuae obtempero! quam vincit effectus pradicationis meae omnes periculorum rationes! quam alacriter *dixi custodire legem tuam!* Quia enim in hac visione exquisitam portionem a te sepositam esse cognovi, ideo haec tanta spes mea animum mihi ad promptissimam erga te obedientiam tollit. *Deprecatus sum* *) *faciem tuam in tote corde meo.* Igitur quum mercedem et eam lectissimam infinitamque exspectem: totus in precibus sum, ut, omne genus fagitationum nihil prae magnitudine sortis meae ducens, ne quid ejus amittam. *Miserere mei secundum eloquium tuum.* Prospera, quaeso, victoriam Prophetae tui, ut, postquam Gentiles ei conversi, Judaei etiam tuiumphati fuerint, totus sit triumphus ejus, perfectus Catholicismus. Nullam rem potiorem habeo, nihil gratius a misericordia tua atque optabilius peto, quam ut pro eo ac locutus es apud Ezechielem, tandem „*suscites etiam Israëli pactum sempiternum, ita ut Judaei quoque recordentur viarum suarum et confundantur*" — poenitentiam agant. (Ezech. 16, 60.) Miserere mei, quemadmodum locutus es apud Michaeam dicens: „*Et erunt reliquiae Jacob in medio populorum multorum quasi ros a Domino*", (pari varietate splendidissimarum virtutum micabunt animi, qui Sole justitiae et lumine veritatis illustrati sunt!), „*et quasi stillae super herbam, quae non exspectat virum et non praestolatur filios hominum*", (quia pauciores essent quam pro multitudine Israëlitarum, qui ex Evangelio Apostolorum, ingenuae prolis Jacob, flore virtutum virescent.) [Mich. 5, 7.] Miserere mei secundum promissionem tuam, quam fecisti, Credentes illos non copia tantum et vitae honestate ac fidei ubertate, sed fortitudine etiam et constantia conspicuos fore. Perrexisti enim apud eundem

*) (Hebr. chilithi.)

Prophetam tuum: *„Reliquiae Jacob“*, (qui conversione sua aeterno Judaeorum exitio superfuerint,) *„in gentibus in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis silvarum et quasi catulus leonis in gregibus pecorum, qui quum transierit et conculcaverit et ceperit, non est, qui eruat.“* (ibid.) Te bene adjuvante *„exaltabitur manus mea super hostes“*, quorum animos taedet veritatis meae; tu cum mei misertus eris, vi divina verbi mei tandem contusae erunt opes Judaismi et Paganismi, et maturabunt *„interire omnes inimici mei.“* (Mich. 5, 7—10.) ***Cogitavi*** *) ***vias meas.*** Amorem tui consilii nunquam ex mente mihi demam; sed cum animo jugiter vias meas reputo, quae, postquam *egressum* me a sinu Patris per totam Judaeam tulerunt, nunc mox in persona Apostolorum ducturae sunt *„in universum mundum.“* (Marc. 16, 15.) Vigilantissime igitur has vias meas circumspicio, quibus ad finem meum propheticum, a te mihi propositum, feliciter pervehar. ***Et converti pedes meos in testimonia tua***, ut, quocunque tua mens inclinat atque voluntas, eodem propensum me exhibeam. Neque vero animo tantum partes meas propheticas examino, sed *cursu* etiam indefatigato, propterea quod praecepta tua velut metam curriculi mei peto, ad annuntiandam Annuntiationem meam propero. Quam ubi attigero, subsistam, et, sicut testimonia tua praecipiunt, *„stabo et pascam in fortitudine Domini in sublimitate nominis Domini Dei mei et convertantur, quia nunc coepi magnificari usque ad terminos terrae.“* (Mich. 5, 4.) ***Paratus sum*** **) ***et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.*** Quasi in procinctu sto et interritus ad omnia *coepi* glorificari. Paratus sum et omni animi alacritate omnium primum ad Judaeorum, tum gentium quoque fines peragrandos propero. ***Funes*** ***) ***peccatorum circumplexi sunt me.***

---

*) (Hebr. chischabthi.) — **) (Hebr. chaschthi = *„propero.“*) — ***) (Hebr. cheblé.)

Pravitas praecipue pharisaica, quae, obscure alioquin serpens, nunc late disseminata, serpentinis suis artibus et multiplici suo ingenio ac tortuoso, omnem Judaeam jam occupat et circumflectitur: simplici ac rectae veritatis meae doctrinae exstinctionem tam impotenter ardet, ut, nulli *fraudi*, nulli fallaciae parcentes, omnes insidias mihi ponant. *Et legem tuam non sum oblitus.* Propheta tuus et idem praeco veritatis ac simplicitatis fautor circumventus quidem est a Pharisaeis, qui „*consilium faciunt, ut perdant eum*", (Matth. 12, 14) et „*consilium ineunt, ut capiant me*" et irretiant captioso aliquo „*sermone*" (id. 22, 15.), etiam „*ut me dolo teneant et occidant*" (id. 26, 4): sed legem tuam non sum oblitus et ita a te decretum esse probe scio, ut, debellata tandem Mendacii perversitate, Veritas mea regnet; hoc enim te perfecturum esse tua lege obstrictus es, quum pro me ad turbam Praedestinatorum meorum dixisti: „*Ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam dicensque tibi: Ne timeas! ego adjuvi te. Noli timere vermis Jacob*" pro veritate Filii mei, „*ego auxiliatus sum tibi et Redemtor*" (conservator) „*tuus sanctus Israël.*" (Jes. 41, 13.) *Media nocte* *) *surgebam ad confitendum tibi.* Plurimum „*sum pernoctans in oratione Dei.*" (Luc. 6, 12.) Nocte tempesta surgo: quum „*ecce tenebrae operiunt terram et caligo populos*: *Jerusalem! super te orior, ut Dominus et gloria tua*" (Messias) „*in te videatur.*" (Jes. 60, 2.) Media nocte surgo: quum namque totus orbis terrarum, tam Judaei quam gentes, crassis errorum et superstitionum tenebris circumfusus et omnis generis calamitatum caligine opertus est; quum clarissimis rebus, ad Deum et Prophetam ejus pertinentibus, „*princeps tenebrarum*" densissimas suas tenebras obduxit: hoc ipso tempore tenebricoso „*Lux mundi*" ortus sui initium facit. „*Surgo*" inquam: primum quia in excubiis meis propheticis *vigilantissimus* esse stu-

*) (Hebr. chazoth-lailah.)

deo, ut lumine veritatis meae tristes superstitionum horrores *constanter* expellam; tum quia mortales, qui animorum quodam somno ita mersi jacent, ut nihil de cura animarum cogitent et ita sopore oppressi sunt, ut nihil videant veritatis, sed somnia tantum et vana simulacra veritatis philosophi quos dicunt, captent, ego evigilare cogo magna voce clamans: Expergiscimini et *„poenitentiam agite! quia adpropinquavit regnum coelorum!“*, (Matth. 4, 17.) *Super judicia justificationis tuae.* Ideo, quod haec judicia tua assidue contemplor, ipsa media nocte olim in Fidelibus etiam meis vigilabo, qui et ipsi media nocte ad Psalmodiam celebrandam surgent et ad exemplum meum contemplationi promissionum tuarum, quae in Evangelio factae erunt, sedulo invigilabunt. *Particeps *) sum omnium timentium te.* Cum omnibus, *„quos dedisti mihi de hoc mundo“*, (Joh. 17, 2) tam arcte conjunctus sum, ut omnis veritatis meae omniumque revelationum mearum societatem cum iis ineam; quin! qui te pie colunt tuamque pietatem digne reverentur: ii mecum *Communionem* Sanctorum perficiunt. Dico: Omnium timentium te ego partem habeo; unde enim sciant te recte diligere, nisi ego erudiam illos? *„Sine me“* hoc est, nisi ego eis disciplinam meam impertio, *„nihil possunt facere“*, (Joh. 15, 6.) sed, *„sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec ipsi“* vere te timent, *„nisi in me manserint“* (Joh. 15, 4), nisi ego fuero particeps eorum. Omnium timentium: Igitur omnium sine ullo discrimine Judaeorum et Gentilium, modo te colentium, socium me atque amicum profiteor et ad omnes dico: *„Vos amici mei estis, si feceritis, quae praecipio vobis“*, (Joh. 15, 14.) *„manete in me et ego in vobis“* maneo, (ib. v. 4.) *„ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.“* (Joh. 17, 21.) *Et custodientium mandata tua.* Qui tuam

---

*) (Hebr. chaber.)

voluntatem observant et qui constanti animo congrue eam aestimant: horum omnium Filius quoque particeps et amicus est; quibus enim tua doctrina, per Prophetas tuos tradita, animos praeparare potuisti, horum voluntates Propheta secum habebit conjunctissimas et, horum etiam in animo ut constans mei recordatio condatur et collocetur, sedulo mihi curae erit. *Misericordia tua* *) *Domine plena est terra.* Verbum divinae lenitatis tuae jam fines Judaeae transcendit et laetum clementiae tuae praeconium ad omnes gentes afferemus; praedicabo enim „*omni creaturae*“, quoniam plena est terra bonitate tua, quoniam nulla pars orbis terrarum gratiae tuae ignara erit. *Justificationes tuas doce me*, ut intuear animo illud mandatum tuum, quo *omnes* gentes in fidei meae societatem recipiendas esse decrevisti. Quid tam jucunde mihi, quam illa promissio, dici potuit: „*Revelabitur gloria Domini et videbit omnis caro pariter salutare Dei.*“ (Jes. 40, 5. Luc. 3, 6.)

Tet. *Bonitatem* **) *fecisti cum servo tuo Domine.* Prophetae tuo, tuae tantummodo obedientiae addicto, paterna pietate consulis. *Secundum verbum tuum.* In hoc autem potissimum tua in servum tuum benignitas posita est, quod non per vim tuam, non coactu meo, violenter homines ad fidem meam trahere a te jubeor, nec „*clamando aut accipiendo personam aut vociferando foris,*“ (Jes. 42, 1) sed quod veritas doctrinae meae per se blande animos conciliet voluisti. Hoc maxime tua erga me et omnes gentes bonitas enitet, quod „*impletur, quod dictum est per Jesaiam prophetam dicentem: „Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo complacuit animae meae. Ponam spiritum meum*“ bonitatis „*super eum et judicium*“ benignitatis meae „*gentibus nuntiabit*“. (Matth. 12, 18. Jes. 42, 1.) Quantum bonitas tua [illegible], quod mandato

---

*) (Hebr. chasdĕcha.) — **) (Hebr. tob.)

tuo benignissime mihi praecepisti, ne „*contenderem aut clamarem, ut audiret aliquis in plateis vocem meam.*“ Adjunxisti eadem bonitate, „*calamum quassatum ne contererem et linum fumigans ne extinguerem.*“ (Jes. 42.) Ut deserviam bonitati tuae, quae „*non tristem neque turbulentum*“ me esse patitur, omnia, (quomodo a te jussus sum facere), verba mea ad tuam tantummodo bonitatem referam. In hoc enim caput doctrinae meae est, ut dicam: „*Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*“ (Matth. 11, 29.) ***Bonitatem*** *) tuam, clementissime Pater! ***et, disciplinam,*** aeterna Sapientia, Fili Dei! ***et scientiam doce me,*** Spiritus veritatis! *Bonitatem* tuam, Pater trade mihi; nam sic vita mea comparata sit oportet, ut singularis Paternae clementiae documenta dare non desistam. In primis autem in peccatores qui, malevolentia ducti, benignitate Patris sui male abusi sunt, dummodo in poenitentiam pronos se praestant, bonitatis tuae specimina exhibere debeo. Sic dictum illud messianum eventum suum habebit, ubi dixisti: „*Orituram esse in diebus meis justitiam et abundantiam pacis.*“ (Ps. 71, 7.) Hanc bonitatem tuam edoctus Propheta tuus ad benignitatem tantum informabit dicens: „*Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.*“ (Joh. 13, 34.) „*Diligite vel inimicos vestros, benefacite etiam his qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vobis et orate pro calumniantibus vos. Prout vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter et eritis filii Altissimi*“ Patris, „*quia ipse benignus est super ingratos et malos. Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est.*“ (Luc. 6, 27—37). Bonitatem tuam doce me, de qua disserere pergam: „*Nolite judicare! nolite condemnare!*“ (ibid. 37.) quia Pater vester „*potestatem dedit Filio judicium facere.*“ (Joh. 5, 27.) „*Dimittite et dimittemini.*“ Parabolis praeterea et beneficentiae miraculis efficere conor, ut paterna tua bonitas per me manifesta

---

*) (Hebr. [illegible]) [illegible]

adpareat. *Et disciplinam.* *) Severe Propheta tuus Evangelium tuum annuntiat: id autem eo tantum consilio, ut in Doctores et Scribas, qui tantum de vera mea intelligentia derogant, quantum falsae suae et factitiae sapientiae arrogant, graviter animadvertam et verbis meis eos acriter castigem. Quod si fecero, Verbi aeterni ejusdemque „*Sapientiae*“ gloria augebitur. *Et scientiam.* Imbue me donis Spiritus intellectus, quibus Scribas et Doctores, omnium perversitatum improbissimos machinatores et impiisimos mandacii administros, praesenti facundia convincam. Da mihi intellectum Spiritus sancti, ut „*turba, quum audierint sermones meos, dictura sit: Hic est vere Propheta,*“ divino Spiritu plenus. (Joh. 7, 40.) *Quia mandatis tuis credidi.* Jussis tuis, ut alias, sic nunc quoque innitar ab eisque pendere mihi certum est. In quibus si non diffisus fuero, mandata tua in me implebuntur et „*requiescet super me spiritus Domini*“ Patris, „*et spiritus Sapientiae et Intellectus*“ (Verbi), „*et Spiritus scientiae et consilii.*“ (Jes. 11, 2.) *Priusquam* **) *humiliarer, ego deliqui.* Ante adventum meum in hunc mundum, in quo a nulla absum humilitate, sed omnes dolores exhausturus sum, Ego h. e. ea pars generis humani, quorum in mentibus ego spe et exspectatione adventus mei vivebam, ea pars hominum, quae non tam ipsi vivebant quam speratus Christus in iis: in varios errores Doctrinae, (Scribae isti et Doctores triste documentum sunt!) imprudens incurrit; necdum enim plenitudo paternae bonitatis et claritas Filii et veritas Spiritus sancti apparuerat. Quantum enim inter „*umbram futurorum bonorum*“ (Coloss. 2, 17.) et lucem praesentis veritatis interest, tantum illud tempus, quod ante aerumnosam Prophetae tui vitam intercessit, distat a statu praesenti, ubi „*nox praecessit, dies appropinquavit*“, (Rom. 13, 12.) dies Dei, qui „*lux est et tenebrae in eo non sunt ullae.*“ (Joh. 1, 5.) Ante non perfectus Messias exstiti, sed aliquid mihi de-

*) (Hebr. taam = sapientiam.) — **) (Hebr. térem.)

fui, (deliqui), quam labores ac pericula subirem eorum, quorum pertinacia certat cum bonitate Patris, quorum superbia confligit cum humilitate Filii, et quorum mendacium pugnat cum veritate Spiritus mei. *Propterea eloquium tuum custodivi.* Jam non delinquam, non errabo in doctrinis Fidei meae, jam non vaga ulla et doctrina fluctuans animos Meorum movebit, sed tenor constantissimus in praedicanda veritate tua conservabitur. Eloquium veritatis tuae custodiam et tam firmiter custodiam, ut haec continua unitas, quae semper secum concors erit et sibi in eadem praedicatione constabit, viam quandam munitam mihi sternat ad aedificandam eam Ecclesiam, quae, *Infallibilitate* insignite conspicua, „*columna et firmamentum veritatis*" futura est. (1 Tim. 3, 15.) Brevi post discessum meum Apostoli mei „*docebunt servare*" (custodire) „*omnia, quaecunque mandavero, eis.*" (Matth. 28, 19.) Ut eloquium tuum conservem, „*ego cum Meis ero omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*" (ib. v. 20.) *Bonus**) *es tu.* O quantam tuam clementiam, lenissime Pater! Quoties recordor, quam de bonitate tua impietas hominum nihil deducat, quam artificia patris mendaciorum nihil de beatificentissima veritate tua imminuerint: Prophetae tuo animus defatigatus ex miseriis requiescit. Nonne licuit genus meum humanum ad apostatarum Angelorum instar in aeternum ex regno veritatis excludere et mancipare tenebris mendacii? Sed nihil horum! bonus es tu! et omnes homines veritate tua illustras, ut vere „*filii lucis sint et filii diei, non sint noctis nec tenebrarum.*" (1 Thess. 5, 5.) *Et in bonitate tua doce me justificationes tuas.* Tam bonus es et „*sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares, ut omnis, qui crediderit in me, non pereat, sed habeat vitam aeternam.*" (Joh. 3, 16.) In hac igitur bonitate tua infinita praeconi bonitatis tuae consilia tuae clementiae,

---

*) (Hebr. tob.) [illegible]

quae aut locorum aut temporum spatio definiri nescit, continenter ostende. **Doce me justificationes tuas,** quibus placitum est, ut, cum „*regnum meum receperit sorores tuas*" (Samariam, Sodoma reliquasque gentes ethnicas), „*des mihi eas in filias, non ex pacto*" veteris, sed novi mei Testamenti. (Ezech. 16, 60.) Quum paene laboribus cedo, ad constanter pergendum in Evangelio animum restauraturus justificationes tuas nosco, quibus statutum est, ut „*dominer, donec auferatur luna, a mari usque ad mare et a flumin eusque ad terminos orbis terrarum; ut coram me procidant Aethiopes et inimici mei terram lingant.*" (Ps. 71, 8.) ***Multiplicata est*** *) ***super me iniquitas superborum.*** Maximo meo periculo praedicationi operam meam navo indefessam; namque una ex parte quum tua bonitas me tollat et augeat: ex altera parte doctrina mea humilitatis flammam communis invidiae accendit. Etenim homines, ingenio superbi, dediti mendacii perversitatibus, Evangelium „*mansuetorum*" et apertum veritatis meae candorem non modo in occulto aversantur exsecranturque, sed omnes etiam minas periculaque ab elatis mortalibus Doctrina mea in me vertit. ***Ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.*** Quae quamvis ita sunt, tamen ego consilium praedicandi verbi mei non abjicio; scrutor enim mandata tua, quibus placuit tibi statuere, ut „*Christus patiatur et sic*" per afflictiones „*intret in gloriam.*" (Luc 24, 46.) Graviter fremant, vehementer in me furant: ego nulli labori, nulli periculo in opere meo parcam; nam tua mandata, tua inquam mandata perlustrans, humilitate, a te mihi injuncta, divitum et inflatorum superbiam me devicturum esse confido; tu enim ad me dixisti: „*Constitui humiliare omnem montem excelsum et rupes perennes*", (h. e. superbos, quorum in animis duritia cordis inveteravit) „*et convalles replere in aequalitatem terrae, ut ambulet Israël diligenter in honorem Dei*"

*) (Hebr. taphĕlú = „*concinnaverunt.*")

cum humilitate et mansuetudine cordis. (Baruch. 5, 7.) *Coagulatum est* *) *sicut lac cor eorum.* Labor est praedicare res divinas superbis et aliis id genus ingeniis, quae fastidium rerum sublimium cepit. Sensu carent et stupidum est cor eorum ad capienda Evangelii mei mysteria. „*Videntes non vident et audientes non audiunt neque intelligunt.*“ „*Incrassatum enim est cor populi hujus*“, (nec bonitate tua movetur), „*et auribus graviter audiunt*“, (nec Evangelium Filii accipiunt), „*et oculos suos claudunt*“, ne testes sint virtutum mearum). [Matth. 13, 15 et 17.] Caro sunt; „*caro autem non prodest quidquam*“ ad spiritualem meam doctrinam recipiendam. (cf. Joh. 6, 64.) Obesum quasi et fatuum cor habent, et alia super alia quum viderint signa, divinam doctrinam meam confirmantia: tamen, quoniam carnali animo omnia metiuntur, quaerunt me, „*non quia viderunt signa,*“ (quibus ad fidem excitarentur); „*sed quia manducaverunt ex panibus et saturati sunt.*“ (Joh. 6, 26.) „*Quam difficile in regnum Dei intrabunt*“ ejusmodi homines! quorum animi sollicitudine carnis obtunduntur: „*Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divites saeculi in regnum ejus Dei*“, qui „*Spiritus est*“ (Luc. 18, 18.); quam difficile credunt ei Prophetae, cujus „*verba spiritus sunt et vita!*“ (Joh. 6.) *Ego vero legem tuam meditatus sum*, et ea mente hoc contigisse intelligo, ut „*adimpleatur in eis prophetia Isaiae dicentis: Auditu audietis et non intelligetis et videntes videbitis et non videbitis.*“ (Matth. 13, 14. Jes. 6, 9.) Et dum filii mundi omnem felicitatem non in sobrietate evangelica, sed in abundantia rerum caducarum ponunt, interea meus cibus est facere voluntatem Patris, cujus a dulcedine nulla acerbitas muneris prophetici me divellere ac distrahere possit. Taedeat divites doctrinae meae et insipida eis sit jejunaque praedicatio de abnegatione: ego tamen hoc lege tua praeceptum esse con-

*) (Hebr. shephasch.)

sidero, ut *„parcam pauperi et inopi et animas pauperum salvas faciam.“* (Ps. 71, 13.) ***Bonum*** *) ***mihi, quia humiliasti me.*** Ideo communi invidia flagrare debeo atque ideo doctrinam meam superbi exterminandam putare debent, quo magis Prophetae tuo perspicuum fiat, tuo jussu sic mihi propositum esse, ut ex humilitate abjectissima ad summum gloriae honorem efferar. Licet res Prophetae supra quam credibile est cuiquam, afflictae esse videntur, tua tamen decreta clarum mihi faciunt, fore, ut *„sit nomen meum benedictum in saecula et benedicantur in me omnes tribus terrae et omnes gentes magnificent me.“* (Ps. 71, 19.) ***Bonum*** **) ***mihi lex oris tui super millia auri et argenti.*** Nihil omnium rerum tanti pretii, tanti momenti cogitari possit, quod prae mercede Evangelii mei non sordeat Christo pendenti ab ore et voluntate tua. Superbi isti aurum et argentum, divitias et opes perituras satagunt parare: Doctori autem humilitatis voluntas tua non minorem patientiae mercedem propositam habet, quam aeternis Evangelii divitiis totum genus humanum locupletare, veritatis meae copia beare innumeras animas immortales: quo quid quisquam sumere possit illustrius ad memoriam, beatius ad felicitatem?

Jod. ***Manus tuae*** ***) ***fecerunt me.*** Filius hominis, ut carnales isti homines et mundani, *„non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus,“* Dei voluntate factus est per Spiritum sanctum ex Maria Virgine. Divina igitur et humana natura pariter in me vivunt: divina quoniam *„in principio eram Verbum“* (Joh. 1, 1.), humana, *„quoniam virtus Altissima obumbravit Matrem meam“* (Luc. 1, 35.) et manus Dei fecerunt me. Quod eo factum est, quo gravius divino verbo meo repuguem et potentius resistam pravis superborum opinionibus. ***Et plasmaverunt me.*** Ex te Deo et Virgine natum

*) (Hebr. tob.) — **) (Hebr. tob.) — ***) (Hebr. י iadécha.)

tua cura me fovit, unctione Spiritus in Jordane me confirmavit, ut exemplo invictae patientiae Christi Christianiquoque confirmati, fortiter vestigiis meis insistant. *Da mihi intellectum et discam mandata tua.* Illud cave, ne quando mihi in intelligenda voluntate tua desim, ne quam vel in tenuissimam delicti aut erroris suspicionem vocer: nedum „*arguere me possint de peccato.*" (Joh. 8, 46.) *Qui timent te,* *) *videbunt me.* Qui tua veteris Testamenti praecepta facile docti; et quorum mentes, tua lege imbutae, prophetias aestimaverint et „*exspectaverint redemtionem Israël et perfecerint omnia secundum legem*" tuam (Luc. 2, 38.): hi, quum, Filium tuum me conspicati magnum Prophetam esse intellexerint, me cognoscent et in cognitum credent, quia „*apparuit benignitas et humanitas Salvatoris eorum Dei.*" (Tit. 3.) Qui timent te, videbunt me; namque omnium primum, qui volunt noscere Filium, prius pie coluisse Patrem et a Patre redamari debent: „*nemo enim potest venire ad me*" et credere in me, „*nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*" (Joh. 6, 44.) *Et laetabuntur, quia in verba tua supersperavi.* Sicut Abraham et Prophetae gaudio futuri adventus mei, quem spe praecipiebant, exultaverunt (cf. Joh. 8, 56.) sic, quia, quam exspectaverunt laetitiam, jam sunt per me assecuti, in hoc ipso exultabit et triumphabit gratus animus Fidelium meorum, quibus laetissima Evangelii annuntiatio facta erit. Laetabuntur maxime, quia in ea verba tua supersperavi, quibus dixisti: In diebus tuis „*audient surdi verba libri et de tenebris et caligine oculi coecorum videbunt. Et addunt miles Domino laetitiam et pauperes homines in sancto Israël exultabunt.*" (Jes. 29, 18.) Qui te veriti erunt et, postquam „*apparuit eis benignitas Salvatoris;*" in me crediderint, laetabuntur non in hac tantum vita, sed in aeternitate de Propheta

*) (Hebr. ireécha.)

Dei gaudebant; „[illegible] *enim revertentur et venient in Sion“ coelestem, „laudantes, et laetitia sempiterna super capita eorum, gaudium et laetitiam tenebunt, fugiet dolor et gemitus; ego, ego ipse consolabor vos,“* nam „*beati, qui audierint verbum meum et custodierint illud.“* (Jes. 51, 11. Luc. 11, 28.)

Cognovi *) ***Domine, quia aequitas judicia tua.*** Cognitum habeo, „*magnum Prophetam*“ me pluribus, quam reliquos prophetas, quum praedico, juste ac rite fatigari oportere laboribus. Talis ratio vitae meae vitis ac mortibus priorum prophetarum meorum praemonstrata est. Meum enim typum in perpessione omnis invidiae nominatim Isaias, Jeremias, Daniel, Elias gesserunt. Nonne horum omnium adhortationibus et sanctitate doctrinae omnes impii ad invidiam rapiebantur? Postremo si qui alii Sanctorum, doctrinae Legis observatores, innocentissimam meam Passionem praefigurabant: nonne Judaeis prophetis invidis is semper habitus animorum erat, ut nullo modo possent inducere in animum, ut dicto eorum parerent, sed contra, nunc palam nunc occulte ab iis dissentientes, tandem omni supplicio eos tollerent? Tam coeca ac violenta rabies postquam in figuras unius Prophetae gliscebat: qui *recte ac juste* fieri possit, ut in me majore et placatiore animo utantur? Minime vero! aequitas haec judicia! ***Et in veritate tua humiliasti me*** i. e. ita tamen te tam severe in me statuisse intelligo, ut tuam in me fidem seu veritatem non violes. Quid igitur attinet me moerere, me afflictum et profligatum esse? quid, quum lux veritatis magnam mihi invidiam a coecitate filiorum mendacii conflarit, propter vicem meam sollicitus sim? Nonne *certissimus* et idem potentissimus conservator salutis meae, meae dico? imo quam plurimorum atque etiam omnium fideliter crediturorum exstiturus est Pater, ne, in cassum semine Evangelii sparso, fructus poe-

*) (Hebr. iadáthi.)

nitentiae desiderentur? *Fiat* *) *misericordia tua, ut consoletur me.* Misericorditer Pater „*clarifica Filium tuum, ut Filius tuus*" hoc ipso, quod nomen tuum manifestat, ingenti gaudio et *consolatione* afficiatur, et in „*hominibus, quos das mihi de mundo, te clarificet*" (Joh. 17.) *Secundum eloquium tuum servo tuo!* Nam tu ipse hoc promissum dedisti, ita te mihi in administratione verbi tui subventurum esse, ut, quos dederis mihi de mundo, ad consolandum me „*revertantur, ut filii Israel te quaerant Dominum Deum suum et David regem suum et paveant ad Dominum et bonum ejus*" Evangelium — „*in novissimo dierum*" et „*in plenitudine temporum.*" (Os. 3, 5. Gal. 4, 4.). *Veniant mihi* **) *miserationes tuae.* Misereat te, precor, Prophetae tui, in tua enim manu positum est, ut Evangelium meum ad finem suum prospere veniat. *Et vivam*, atque ita vivam, „*ut, omne, quod dederis mihi, dem eis vitam aeternam,*" ut „Evangelio meo „*cognoscant te solum Deum verum.*" (Joh. 17, 1 — 7.) Vivam et nomen meum florebit, si praedicatione mea cognitio nominis tui pervulgatur: „*haec est enim vita aeterna*" mea in Fidelibus meis, „*ut cognoscant te.*" (ibid. v. 3.) *Quia lex tua meditatio mea est.* Oppressus etiam odio propter veritatem minime animum despondeo, quia contra, si „*propter justitiam tuam persecutionem patior,*" (Matth. 5, 10.) id magnopere laetor. Tua enim voluntas me ad se rapit, qua voluntate decrevisti „*me mittendum esse ad annuntiandum mansuetis*, ut, ipse per te plenus consolationis, „*mederer contritis corde et praedicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem, ut praedicarem annum placabilem Domino, ut consolarer omnes lugentes et ponerem lugentibus Sion et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu moeroris!*" (Jes. 61. 1 — 4.) Hujus legis tuae quum memoria mihi

*) (Hebr. iehi.) — **) (Hebr. iebouni.)

revixit, tantum abest, ut animo deficiam aut ut odia saeculi me de mea in te fide deducere possint, ut eo magis tuae voluntati servire insistam. *Confundantur *) superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me.* Scribae et Pharisaei, qui fastu animi elati, doctrinam meam non modo repudiant, sed oppugnant etiam et reprimere nituntur; omnes inimici mei, qui vecordi superbiae amentia inciti, praestantiam Doctrinae coelestis minuunt et virtutes meas detrectant praetereaque Sanctitatis meae proemia corrumpere student; hi omnes consiliis suis turpiter excident. Jam nunc mente ac cogitatione prospicio, quanto ruboni futurum sit, in veracissimum humilemque Prophetam Dei peccasse; quum enim *nullo merito et* injuste Doctorem veritatis beneficentissimum fraude circumvenerint, quum eundem, prophetica vocis libertate eos perstringentem, pectore pleno animorum iraeque sive tacitae sive apertae audierint, id stultissime et maximo cum *flagitio* suo se fecisse intelligent; et suffusis extremo pudore apparebit, „*verbum Dei non alligatum esse.*“ (Tim. 2, 9.) *Ego autem exercebor in mandatis tuis.* Quanto minus cum contemtoribus humilitatis meae gratiam pacis reconciliare possum, quin etiam! quanto fallacius infestiusque in veritatem meam afficiuntur: tanto propensiore animo illis edictis tuis incumbam, quibus Filio hominis imperatur, ut „*omnis mons et collis humilietur,*“ (Jes. 40, 4.) ut igitur „*humiliem, qui se ipsi exaltaverint, et exaltem eos, qui se humiliaverint.*“ (Luc. 18, 14.) Ego enim consilia tua inspicio, quae regnum coelorum non superborum esse concedunt, sed pauperum spiritu; non sapientium sibi, sed mitium et mansuetorum. (Matth. 5, 4.) *Convertantur **) mihi timentes te.* Qui enim ductu Spiritus tui pii cultores exstiterint, facile ad Filium

*) (Hebr. *iebôshu*; proximo versu *iashubu* - „*convertantur*“ Paronomasia.) — **) (Hebr. iashúbu.)

quoque venient credituri. *Et qui noverunt testimonia tua.* „*Parvuli, quibus tu Pater dedisti nosse mysteria*" testimoniorum tuorum, (Matth. 11, 25.), hi in meam quoque fidem et clientelam Christi venient. Hi soli, quia, quum eis „*simplex oculus,*" (Matth. 6, 22.) per fidei sanitatem omnia arcana contemplans, insit, prorsus perspectum habent, quid sibi edicta tua velint; hi omnes ad me venient. Hac igitur sublimitate intellectus qui praediti sunt, de iis tua voluntas tenet, ut iis illud impleatur, quum dixisti: „*Suscitabo super oves meas Pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas et ipse erit eis in pastorem*" „*bonum, quem cognoscunt oves meae.*" (Ezech. 34, 33. Joh. 10, 14.) *Fiat *) cor meum immaculatum in justificationibus tuis.* Gravissimo apud homines odio sum propter Evangelium: sed tamen de me optimam spem habeo, cor meum perfectum solidumque neque debile fore ad constanter consilia tua tam perdiscenda quam exsequenda. Averso omni mundo, veritate mea graviter offenso, nil tamen coepto deterreor neque, etiamsi potestates tenebrarum omnes vires suas contra lucem meam paratas habeant, quidquam ex pristina *magnitudine animi* mutabo; quin etiam! usque eo meam in te fidem inviolatam praestabo, ut, laboribus „*Prophetae*" defunctus, non minus infracto animo etiam ad Passionis ipsius tormenta accedere non dubitem. Neque enim Propheta solum, sed ut sacerdos etiam et Hostia „*salutaris*" apparerem, in hunc mundum veni. *Ut non confundar.* Hoc a te quaeso, ut tandem Evangelii mei veritas victrix omnis mendacii discedat, ut illud insuper praestes, ut in exitu omnium rerum mea causa praeclarum suum exitum habeat, ut, quum in omnes aetates per Praedicatores meos evangelizabo, semper „*diffusa sit gratia in labiis meis et benedicat me in aeternum*" (Ps. mess. 44.); deinde ut, quum *coelum*

---

* (Hebr. lehi.)

et terra transibunt, verba mea non transeant." (Marc. 13. 31.) Non confundar praedicatione mea — „*propter veritatem et mansuetudinem et justitiam,*" (Ps. 44.) sed contra; quemadmodum a te jussus sum facere, mox „*succidam tres pastores*" et gladio oris mei interficiam reges, sacerdotes et Prophetas Judaeorum „*in mense uno;*" (qui mensis meus non triginta diebus, sed totidem annis constat.) — Zach. 11. 18.

Ad Sextam,

(*in qua Christus, pro salute nostra passurus, ita audi- tur precari.*)

Kaph. *Defecit* *) *in salutare tuum anima mea.* Tempus instat, quum non verbo, sed opere generi humano *salutare* recuperem. Propterea igitur veniat (utinamque jam venerit!) „*hora mea*" (Marc. 14, 41.); quae ad expiandos mihi homines constituta est; veniat velim hora, in qua, *salute* totius mundi proposita, tibi soli obtemperem et parcam „*usque ad mortem.*" *Et in verbum tuum supersperavi.* Jam jamque te promissum tuum praestiturum esse confido; quod olim in Paradiso dedisti: semine mulieris potestatem Diaboli hoc ipso contritum iri, si ego passus fuissem. In spem certam vehi, fore, ut salutare tuum mihi contingat et fiat, quod dixisti, „*mulierem*" et filium hominis, factum ex muliere, „*contriturum esse caput serpentis et serpentem insidiaturum esse calcaneo meo.*" (Gen. 3, 14.) Igitur per insidias quidem mortem quaerunt et, velint nolint ita commune salutare praeparare debent, ut, immanitate diabolica venenati, ad capitale supplicium me abstrahant. Sed in hoc etiam verbum tuum superspero, me hac morte contriturum

*) (Hebr. Kalthâh.)

esse caput Serpentis. *Defecerunt* *) *oculi mei in eloquium tuum*. „*Desiderio desideravi Pascha manducare*" (Luc. 22, 15.), et jam ante mortem meam instituere memoriale mortis meae. Tuo enim *eloquio*, tuo jussu hoc Pascha celebrari debuit, ut pro typo esset ejus, „*qui Pascha hominum immolatus est, Christi.*" (Cor. 5, 7.) *Dicentes: Quando consolaberis me.* Prae desiderio Salutis, quam morte mea mortalibus paraturus sum, oculi mei tantum non voce desiderii solatium in hora mea quaerunt. *Quia* **) *factus sum sicut uter in pruina*. Ad hoc a te Pascha factus sum, ut omnium malorum vitae tempestatibus (pruina) ipse perfunctus, tandem uter quidam novus exstem, (Matth. 9, 17.) in quo novum vinum novi Testamenti h. e. Sanguis meus sub specie vini conservetur, unde animabus propter me afflictis dulcissima consolatio hauriatur. In *pruina* vero tamdiu jacebo, dum in ea Ecclesia, cujus fides in terra militat, multis laboribus obnoxius ero et *rigida* semper impiorum ira *urar* ac persecutionis pruina decoquendus quaerar. Ex Corpore meo oblato, quum in *horridum* certamen descendent, veluti ex utre Sanguinem salutis bibent ut, incalentes hoc potu et sacratissimo utris hujus mystici liquore potati, vel Martyrium subire ardeant. *Justificationes tuas non sum oblitus.* Memori mente recordor, uter ejusmodi in pruina communis odii exstet oportere, qui, perpetua Passionis meae abundantia scatens, copiosissima meritorum mebrum ubertate turgescat. Ipse enim in justificationibus tuis dixisti: „*Faciet Dominus exercitum omnibus populis in monte hoc,*" in regno meo coelorum, (ubi Fideles mei celsi spe haud dubia quaerunt, quae sursum sunt, non quae super terram) „*convivium vindemiae, pinguium medullatorum, vindemiae defaecatae.*" (Jes. 25, 6.) Certum mihi igitur est, nullum discrimen deprecandum, nullius cruciatus perpessio-

*) (Hebr. Kalú.) — **) (Hebr. Ki)

nem mihi defugiendam esse, dummodo Electi mei, ad nuptias Agni vocati, in regno meo recumbant et ex calice Sanguinis mei bibant et tanquam ex utre inexhausto quam frequentissimi pascantur. *Quot *) sunt dies servi tui.* Quantulum mihi supersit, considera! Quam prope a Passione mea absim, vide! Ergo *quando facies de persequentibus me judicium?* Quantum morae interponetur, dum judicabis? Fac tandem quam primum morte mea judicium exerceam de mortis auctore et sociis ejus, qui in hora mea pariter ad consilium perdendi „*Vitam*“ conspirant. Exiguum temporis interjectum erit et horae meae dissipata pruina ac caligine, judicabitur judicatusque „*princeps hujus mundi et foras ejectus erit.*“ (Joh. 12, 31.). *Narraverunt iniqui fabulationes. **)* Temere et contentim semper sermones suos in me conjicientes dignitatem meam funditus evertere conantur. Quomodo olim mirabundi quaesierunt: „*Nonne hic est fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria et fratres ejus Jacobus et Joseph et Simon et Judas? et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt: unde ergo huic omnia ista?*“ (Matth. 13, 55.) et: „*Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?*“ (Joh. 7, 15.) Et quomodo alias, coecis erroribus jactati, fabulabundi hos sermones inter se conferebant: „*Hic Messias Salvator esse non potest, quia hunc scimus; Christus autem cum venerit, nemo sciet, unde sit,*“ (Joh. 7, 27.); sic, quum his et talibus perversis opinionibus me prosecuti erunt, nunc praesertim, quum „*hora eorum*“ instabit, non quietos eos habebo, sed hoc vehementius insidiose de me consulunt et *inique foveas* mihi parant. Judas, tradi-

---

*) (Hebr. Kummah.) **) (Hebr. Karu-li sedim schichoth = „*foderunt mihi insolentes foveas.*“ Vulgata autem legit: „sichoth“ = „*sermones*“, „*querelas*“, pro „schichoth“ = „*foveas.*“ Quomodo „*narraverunt*“ ortum sit pr. „*foderunt*“ nesciunt interpretes.

tor iniquus! quam temere, quam scelesto ebulliet: Ave Rabbi! quantam mihi foveam aperiet, quum osculatus etiam me fuerit! (Matth. 26, 49.) Petrus et ipse quam inconsulte de me loquetur, quum tam imprudenter, tam inique „*me negaturus sit coram omnibus, ut cum juramento dicere non haesitet: Quia non novi hominem.*" (Matth. 26, 72.) Et quam inepte denique testes falsi et iniqui de me mentientur dicentes: „*Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego dissolvam templum hoc manu factum et per triduum aliud non manu factum aedificabo.*" (Marc. 13, 57.) „*Quam non recte autem hoc effutiant, ex eo patebit, quod non erit conveniens testimonium illorum.*" (ibid. v. 57.) *Sed non ut lex tua.* Non ita de me sentiunt, quemadmodum lege tua statutum est; incredibile enim auditu est, „*quam stulti et tardi sint corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt prophetae.*" (Luc. 24, 25.) Quam latet eos, ita lege voluntatis tuae sancitum esse, ut pro nihilo haberer! omnia indigna patiar! ut rex sim non superbae Majestatis, sed inauditae Humilitatis. Tu enim dixisti: „*Rex filiae Sion et Jerusalem justus veniet et Salvator; pauper erit et ascendens super asinam et pullum filium asinae.*" (Zach. 9. 9.) *Omnia*) mandata tua veritas.* O plebem mobilem! o vulgus malignum et stolidum! Ante Passionem in urbem Jerusalem Salvatore intraturo qui jubilus! quibus votis piis ominibusque me prosequentur! quam vociferabuntur: „*Hosanna in excelsis Filio David!*" (Matth. 21, 9.) Frustra! non haec horum hominum verba, sed tua tantum mandata veritas sunt; illi enim longissime ab hac veritate consiliorum tuorum aberrant, et, quod a te de filio David statutum sit, maligni isti et iniqui hodie „*Hosanna*" et paucis diebus post „*Crucifigatur*" conclamaturi, prorsus nesciunt. Quod autem semel de Filio hominis decretum est, vere ratum, vere

*) (Hebr. Kol.)

fixum: cito ut patior! aut humillime patiar! *Inique persecuti sunt me.* Nulla causa est, cur molestiis sua me appetant atque adeo incensi odio de occidendo me cogitent. „*Quis me arguere potest de peccato?*“ ne dicam eo scelere, quod morte crucis luendum sit? Nulla admodum injuria a me lacessiti conclamitant: „*Reus est mortis.*“ (Matth. 26, 60.) *Adjuva me:* namque eo secius mortem subire non recuso. *Paulo minus* *) *consummaverunt me in terra.* Parum abest, quin me, sine quo nihil boni facere possunt, omnem pietatem erga te, Pater! e terra penitus sustulerint, quin etiam fides mea ex hominum memoria evellatur. Quid primum mei restitit in populo Judaeorum, qui omnem indignitatem in me hodie admissuri sunt? qui jam id agunt, ut sententiis suis per testes subornatos et per interfectores meos gravissimam securim infligant „Veritati“ et „Vitae?“ Tum Gentiles quid mei reliqui habent? quibus divina humanaque ubique miscentur et quibus res divinae pariter corruptae parum fidei et religionis; parum pietatis et sanctimoniae reliquerint? Quid mirum igitur, si nihil mei superesse dico in terra? Nonne Diabolus, me paene ejecto, jure principatum mundi tenere dicitur praesertim in populis Idololatriae deditis et Daemoni servientibus? Proh dolor! quum in Gentibus omnis mei memoria jam diu abolita est, Judaei interea, quos non injuria „*ex patre diabolo esse dixi,*“ (Joh. 6, 44.) eas caedes, quas plurimas in meos Prophetas perpetrarunt, novo jam scelere cumulaturi, inaudito maleficio adaucturi sunt! *Ego autem non dereliqui mandata tua.* Quamquam haec ita se habeant, ut omnia alienissimas in me habeant voluntates, at certe inter meam et tuam voluntatem nihil non convenit, et licet cum maxime veritate mea ad mendacium stimulati, vehementer charitate mea ad odium exciti sunt: tamen hoc oneris ut mihi

---

) (Hebr. Kimeat.) ([illegible]

imponatur, rogito, quod ad communem salutem conducat, quod Redemtioni aptum futurum sit. Tua mandata non negligo et *„secundum quod a te definitum est.“* (Luc 22, 22.) apud Prophetam, *„corpus meum dabo percutientibus et genas meas vellentibus; faciem meam non avertam ab increpantibus et conspuentibus in me.“* (Jes. 50, 6.) ***Secundum misericordiam tuam *) vivifica.*** Dummodo tu, Pater! operam, quam ad sustinendam Passionem meam professus es, „mihi auxilio et solatio sis, nihil de prospero fine pertimesco et *„posuam faciem meam ut petram durissimam“* et scio, quoniam *„non confundar,“* (Jes. 50, 7.) Exanimatum prae angore et dolore animi tu me recrea, nam tu quum *„juxta es, qui justifices me: quis contradicit mihi? Stemus simul: Quis est adversarius meus? accedat ad me!“* (Jes. 16.) Accedat ad me turba Judaea; alacri animo mortem opperiar. ***Et custodiam testimonia oris tui.*** Spe tui consilii sic animus mihi augescit, ut, quum apud principes sacerdotum, et Pontium Pilatum praesens capitis periculum aditurus sum, tum vel maxime, sicut mihi imperatum est, mandata tua exsequar. Tuo jussu enim dicam: Ipsa morte mea *„ero mors tua, o mors!“* ipso descensu meo ad inferos *„morsus tuus ero, inferne!“* (Os. 13, 14.)

Lamed. ***In aeternum **) Domine verbum tuum permanet in coelo.*** In regno meo coelorum, quod Passione mea instituturus sum, nil, quod semel a te consultum ac provisum fuerit, mutabitur. In aeternum autem hoc potissimum consilio tuo stabitur, *„ut statuas testamentum alterum sempiternum, ut sis illis in Deum et ipsi sint tibi in populum et non moveas amplius populum tuum, filios Israël, a terra, quam dedisti eis.“* (Bar. 2, 35.) Hoc igitur verbum tuum in regno coelorum permanebit et apud te immotum ita conservabitur, si ante Passionem meam dixero

---

*) (Hebr. Kechasdecha.) **) (Hebr. Leolam.)

„Hic est calix sanguinis mei novi et aeterni Testamenti.“ (cf. Luc. 22, 20.) ***In generationem *) et generationem veritas tua.*** In utraque generatione laus aeterna veritatis tuae penes te est; etenim tam in generatione illa, quae ex Israël orta, promissa ac figuras mortis meae a te accepit; quam in ea, cujus ego conditor ero, generatione, fides tua perstat. In sempiternum veritas hujus verbi tui permanebit: *„Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum: qui crediderit, non festinet.“* (Jes. 28, 16.) Verus hujus promissionis tuae eventus omni memoriae manifestus erit, quum *„columna veritatis,“* quam *pretioso* sanguine et *probata* spectataque patientia mea positurus sum, nullis artibus labefactata concidet. ***Fundasti terram et permanet.*** Orbis iste terrarum corruet et in cinerem vertetur: mea autem terra, meum regnum, quod morte mea fundabo, omnes irarum impetus sustinebit et ego *„lapis pretiosus et probatus“* in eo scopuli instar omnes invidiae procellas depellam, omnia pericula discutiam. An quomodo labet Ecclesia *„superaedificata super fundamentum Apostolorum ipso summo angulari lapide Christo Jesu?“* (Eph. 2.) *„in lapide pretioso et probato?“* ***Ordinatione tua **) perseverat dies.*** Omnia a stirpe interibunt; sed tuo arbitrio dies ille continuus, qui ex morte mea generi humano orietur, permanebit; ego enim sempiterna *„Lux mundi“* et idem sempiternum *„Lumen de Lumine“* et *„Sol Justitiae“* terrae meae aeternam claritatem praebebo. Hic Dies perseverat non dicam usque ad consummationem saeculi, sed ultra omne tempus futurus est. Namque post exitum omnium temporum aeterno etiam aspectu *„Splendoris gloriae Patris“* fruentur et Solem habebunt in coelo nunquam occasurum. Fideles mei in aeternum vere *„filii lucis“* erunt; et hoc

---

*) (Hebr. ledor [illegible]) ([illegible] Temis [illegible]) [illegible]

quidem ad tuam voluntatem, qui dixisti: *„Et erit dies una“* i. e. continua, *„quae nota est Domino, non dies neque nox, et in die vesperi erit lux.“* (Zach. 14, 7.) Dies iste novi Testamenti, qui *„adpropinquavit“* ad nutum tuum Pater! perseverabit; namque ita fatus est: *„Suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur et regnum ejus alteri populo non tradetur; comminuet autem et consumet universa regna et ipsum stabit in aeternum.“* (Dan. 2, 44.) Dies hic, o splendidissima gloria corporis mei, ante mortem in Thabor gloriose transfigurati, post Passionem vero clarius etiam glorificati ceu lux fulgidissima in Resurrectione illucescet et ordinatione tua *„ad dexteram gloriae Majestatis tuae“* Sol intuitionis aeternae occasum nesciet et in sempiternum: *„in Lumine me videbunt te Lumen.“* (Ps. 35, 10.) ***Quoniam omnia serviunt tibi.*** Ne fundamenta aeterni hujus regni jaciam, inimici impedimento esse volunt. Nequidquam! namque hoc ipso, quod meum usque ad crucem obsequium te solum honestat, omnia serva mihi faciam et *„rex regum“* evadam; tu enim, cui omnia serviunt, post mortem omnem potestatem mihi dabis. Res meae prosperae afflictaeque juxta ad exequenda tua tantum imperia parent, omnia, mors et vita mea aeque tuo honori deserviunt. ***Nisi quod**** ***) lex tua meditatio mea est.*** Nisi tua voluntas et proemium Passionis, quod patientiae meae praepositum est, semper ob oculos mihi versaretur, sane vi hostium, quos furor effrenatus lymphatos agit et qui gestiunt saginari sanguine Prophetarum, etiam corroborata a te virtus concideret. Sed penitus in mente defixa habeo mandata tua, quibus, etiamsi mortuus fuero, me *„corruptioni“* non fore obnoxium praedixisti jubens, *„carnem meam oportere requiescere in spe, quoniam non derelinqueretur a Patre anima mea in inferno nec tu daturus esses Sanctum tuum videre corruptionem.“*

*) (Hebr. lulé.)

nem." (Ps. 15, 9. Act. 2, 31.) *Tum forte periissem in humilitate mea.* Nisi assidua verbi tui recordatio animum reficeret, profecto concidissem animo, ubi primum ad restinguendam implacabilem invidiam sanguis meus deposcetur. *In aeternum**) *non obliviscar sermones tuos.* Alia etiam lex, quae de Filio hominis sancita, animos mihi dat, ut lubenti voluntate morti me offeram; nunquam enim obliviscar, quales ex perpessione dolorum fructus percepturus sim, neque unquam illius decreti tui obliviscar, in quo dixisti: „*Ab ortu solis usque ad occasum magnum erit nomen meum in gentibus et in omni loco sacrificabitur et offeretur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus*" (Malach. 1, 11). In aeternum hoc mandatum tuum non obliviscar. Omni posteritati meae memoriale mortis hujus in Sacrificio novi Testamenti tam late redintegrabitur, ut non nisi terminis orbis terrarum definiatur. *Quia in ipsis vivificasti me.* Hoc tam egregium quoniam tibi decretum est, ut, postquam cruento sacrificio oblatus fuero, continuo in omnes aetates in incruento sacrificio offerar, vires mihi colligo et animum reficio. Vivam enim et ita vivam in Altaribus et cordibus Fidelium, ut haec ipsa hostia nobilis fons vitae aeternae existat; ita vivam, ut meo *sanguine vitae* nutriti proficiant, „*se vivere jam non se ipsos, vivere vero in se Christum.*" (Gal. 2, 20.) *Tuus sum* **) *ego, salvum me fac.* Et natura et voluntate mea tuus sum; namque ego, quum hodie omnes me fastidituri atque infestissimas contra me voluntates initiaturi sint, tuus tamen ero et tuo in obsequio consistam neque quidquam ex eo, quod tibi pollicitus sum, mutabo. Si omnes vociferabuntur: „*Tolle! tolle!*" (Joh. 19, 15) non noster es, „*et peregrinus*" factus ero fratribus meis et filiis matris meae, (Ps. 68, 9.) tamen tuus ero et in tuam fidem me

*) (Hebr. leolám.) — **) (Hebr. lechá.)

recipiam. *Quoniam justificationes tuas exquisivi.* Quia tua tantum edicta curo, ideo in comparanda salute generis humani firmo et constanti animo adfuturus sum dicens: „*Ecce venio! in capite Libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam et legem tuam in medio cordis mei.*" (Hebr. 10, 9. Ps. 39, 8.) Et has justificationes tuas curo, quia „*in hac voluntate sanctifico homines per oblationem corporis mei.*" (Hebr. 10, 10.) *Me *) exspectaverunt peccatores, ut perderent me*, dicentes: „*Circumveniamus Justum, quoniam inutilis est nobis et contrarius operibus nostris et improperat nobis praecepta Legis. Promittit se scientiam Dei habere et Filium Dei se nominat.*" (Sap. 2, 12.) Quoniam has etiam justificationes tuas perpendo, hinc cognovi, „*quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum p e c c a t o r u m,*" (Luc. 24, 7.) et ideo jam non sermonibus tantum caedem meam eructant neque eo tantum prorupit cupiditas et audacia, ut, omnia maledicta in me conjicientes, infestum nomen meum appellant, sed vi aperta innocens tradar in manus nocentium peccatorum, me perditum euntium. *Testimonia tua intellexi.* Inimici mei quam stolide laeti debacchantur! Ego interea tacitus mortem subibo apparatumque omnium patiens, quia testimonia tua intellexi. Quam vana, quam insana spe incitati in innocentiam saeviunt, perinde ac si aliter de me constitutum esse legerent! Dixi, sed dixi eis frustra! per Jeremiam prophetam: „*Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam; cogitaverunt super me consilia dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium et nomen ejus non memoretur amplius.*" (Jer. 11, 18.) *Omnis **) consummationis vidi finem.* Nihil video rerum humanarum tam perfectum et solidum, quod non deficiat tandem et intereat. Ego autem sum „*a diebus aeternitatis*" atque „*Pater ae-*

futuri saeculi" et conditor Foederis aeterni. In hora mea „*video consummationem saeculi*" veteris futuram esse, ita ut penitus „*nova faciam omnia*" et redimam a communi interitu. (Apoc. 21, 5). Quod ut significem, clara voce clamabo: „*Consummatum est.*" (Joh. 19, 30.) Finis felicissimus et exitus hujus consummationis meae ita mihi ob oculos obversatur, ut ipse adspectus ejus „*auctorem fidei et consummatorem*" (Hebr. 12, 2.) me plenum bonae spei faciat. Perfectae consummationis finem laetissimum videns majore animo Passionem capessam, eo quod prospicio, cumulatam et undique absolutam adimpletionem veteris Testamenti ac omnium promissionum, per Prophetas latarum, prope esse, ut eveniant. Veni enim „*Legem adimplere*" (Matth. 5, 17.) et consummare, quae de me coelitus sancita sunt. ***Latum mandatum tuum nimis.*** Jussum tuum late patet; nam tum denique perfecta consummatio rerum futura est, quum pro omni, pro universa, pro tota gente humana tam pro iis, qui etiam nunc vivunt, quam pro iis, qui adhuc in Limbo tenentur, et iis, qui nondum nati sunt, pro omnibus me obtulero. Hoc est latum mandatum tuum, ut omnes omnium aetatum et regionum homines charitate immensa in cruce complexus, de amplissima potestate principis hujus mundi triumphem. Latum est mandatum, quod mihi imperavisti, ut charitate ductus, fiam „*propitiatio pro peccatis totius mundi.*" (Joh. 2, 2.) Charitas tam amplum est mandatum, primum ut omnia reliqua mandata, deinde omnes homines universi mundi amplectatur. Quam late et varie hoc amplum mandatum tuum diffundatur, apud Danielem tuum fit planum, qui scribit: „*Tunc contrita sunt pariter ferrum*" i. e. ferrea dominatio Populi Romani, „*et testa*" i. e. fragile Babylonis imperium, „*et aes*" i. e. regnum satis firmum Macedonis, „*et argentum*" i. e. nobiles Persarum opes, „*et aurum*" i. e. caput Nabuchodonosor „*et redacta quasi in favillam areae aestivae et rapuit ea spiritus et omnis locus non est inventus eis*"; lapis (*autem*) qui

percusserat statuam, factus est in saxum ingens et implevit universam terram." (Dan. 2, 35. Luc. 20, 18.) Sensus est: Tum demum consummatio perfecta („*omnis*") erit, quum in cruce „*consummatum esse*" clamavero et quum postea amplissima mundi regna meo regno coelorum comprehensa et meo „*novo mandato charitatis universalis quasi absorpta erunt.*"

Mem. *Quomodo* *) *dilexi legem tuam Domine.* Quam ardenter aveo oppetere mortem amoris et implere legem tuam charitatis! An est quidquam, quod mihi optatum aeque contingere possit, quam ut communi odio succumbam, ut communis charitatis auctor evadam? Nam „*finis*" (consummatio) „*Legis est charitas.*" (I. Tim. 1, 5.) *Tota die meditatio mea est.* Per omnem vitam meam, quamdiu hoc lumine inter vivos vescor, hoc solum incumbo, ut omnino nullus coepto desim; sed in hoc die Passionis meae toto animi affectu tuae voluntati contemplandae observandaeque me dabo. Dixi semper dicoque: Non veni, ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me, Patris; „*nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a me ipso: hoc mandatum accepi a Patre meo.*" (Joh. 10, 18.) *Super inimicos meos* **) *prudentem me fecisti mandato tuo.* Ego solus scio, quorsum haec omnia, quae hodie mihi accidunt, valeant. Dum hostes mei coecas iras in me acuunt et Barabbam (h. e. „*filium patris*" Diaboli) praeferentes, „*Filium Dei*" me ad crucem deposcunt: *nesciunt,* quid faciant; ut adimpleatur, quod Propheta de iis dixit: „*Oculus dexter*" sanitas mentis „*eorum tenebrescens obscuratus est.*" (Zach. 11, 17.) Imprudentes et furibundi ac vecordi sua mente inciti in me feruntur: ego contra firmissima intrepidaque animi fortitudine insanos impetus eorum notos habeo. Isti nesciunt, quid faciunt, (Luc. 23, 34.), ego veró scio, quo vado. (Joh. 8, 14.) Voces et palmarum intentus et ma-

*) (Hebr. mah.) — **) méojebâi.)

ledictorum clamores profundere certatis: o ignorantiam! o inscientiam vestram! qui non memineritis loci illius messiani: „*Intelliget Servus tuus et*“ hoc ipso, quod se Patris servitium esse intelliget, „*exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde.*“ (Jes. 52, 13.) ***Quia in aeternum mihi est.*** Haec lex tua mihi manet; quemadmodum enim hodie in corpore, ex Virgine Maria edito, Passionem acerbissimam proposuisti sustinendam eo consilio, ut ex hac patientia ad gloriam meam evehar: sic lege tua providisti, ut deinceps in alio corpore meo „*adimpleam ea, quae desunt passionum mearum pro corpore meo, quod est Ecclesia.*“ (Coloss. 1, 24.) ***Super omnes *) docentes me intellexi.*** Omnibus doctoribus Legis in Israël, qui in Synagoga mea meam doctrinam tradunt et prophetias meas exponunt, ego facile intellectu meo praesto. Doctores mei ne opinione quidem augurantur, hanc ipsam hujus diei indignitatem in salutem et gloriam aeternam cessuram esse. Ad me quam parum sapiunt! Quum enim ego intelligo, hodie nil quam impleri Scripturam: Scribae et Pharisaei, odio mei coeci, nil prophetiarum recordantur. Ego dum perspectum habebo, ita de crucifixione mea scriptum esse, et magna voce clamans Psalmum illum recitare incipiam dicens: „*Eloa, Eloa! ut quid me dereliquisti?*“ (Ps, 21, 1.) tantum aberit, ut hoc modo mortis meae, ita praedictae in hoc Psalmo, moneantur, ut etiam eludentes hoc extremum monitum meum dicant: „*Eliam vocat iste?*“ (Marc. 15, 25.) Non satis est! Apostoli etiam, qui et ipsi Doctores mei erunt, a quibus Ego h. e. Ecclesia mea (Act. 9, 4.) discam mysteria fidei, tam parum consilium Passionis meae capient, ut ipso die Ascensionis meae multum, quod eximatur, dubitationis inventurus sim et „*exprobraturus incredulitatem eorum et duritiam cordis.*“ (Marc. 16, 14.) ***Quia testimonia tua meditatio mea est.*** Scribarum animos exercet litera: ego spi-

---

*) (Hebr. mikól.)

ritum et voluntatem tuam in Lege perscrutor; doctores in Israël nil faciunt nisi labiis recitant testimonia tua, vel ad verbum omnia excutiunt: ego jugi et assidua meditatione consiliorum tuorum hoc hodie manifestum habeo, hac oblatione mea voluntaria omnia veteris Testamenti sacrificia impleri et hanc esse horam, in qua sacrificium unicum, unde omnia prisca sacrificia pendebant, offeratur et perficiatur (consummetur.) *Super senes *) intellexi.* *Seniores* et principes sacerdotum omnino nihil de Passione mea perspiciunt et quum de interimendo me consentiunt, non tam consilio, quam furore id faciunt: *si enim cognoscerent, nunquam Dominum gloriae crucifigerent.*" (1. Cor. 2, 8.) Jam ante hoc tempus, quum diris exsecrationibus me persecuti, etiam publice et *Senatus* consulto me e Synagoga ejecerunt vel potius morti me devoverunt, *„ut, si quis cognosset, ubi essem, indicaret, ut apprehenderent me"* (Joh. 11, 56.): tum iidem nescierunt, ideo sic in me statui oportere, quia propter hoc ipsum fieri debeo maledictum, ut redimam de maledicto Legis vere Legis peritos. (Gal. 3, 13.) *Quia mandata tua quaesivi.* Mihi nullus alio est, quam ad edicta tua, respectus, in quibus ita scriptum est: *„Maledictus omnis, qui pendet in ligno."* (Gal. 3, 13. Deut. 21, 23.) *Ab omni **) via mala prohibui pedes meos.* Nemo inimicorum est, quin nequiter in odium mei capitale adducatur: in me enim nulla prorsus nequitia, nulla impotentia locum habet et, vacuus omni malitia, totum Redemtionis beneficium in eos conferre cupio, *ut custodiam verba tua*, quibus conformis quidem fieri jussus sum hominibus, sed ita, ut *„absque peccato appaream"* (Hebr. 4, 15.) *„nec peccatum faciam, nec inveniatur dolus"* (via mala) *in ore meo."* (Jes. 53, 9. 1. Petr. 2, 22.) *A judiciis tuis ***) non declinavi.* Tam procul ab omni

*) (Hebr. miskenim.) — **) (Hebr. mikól.) — ***) (Hebr. mimischpatécha.)

via mala absum, ut „*non noverim peccatum*" (1. Cor. 5, 21.) et adeo a sententiis tuis non recedo, ut „*nec jota unum vel unus apex praetereat a Lege, donec omnia fiant.*" (Matth. 5, 18.) nec patiar, „*de Lege unum apicem cadere.*" (Luc. 16, 17.): donec vita et morte mea omnia mandata tua implevero — consummavero. *Quia tu legem posuisti mihi.* Tu lege tua desiderium meum, offerendi me tortoribus pro genere meo humano et Calicem tuum accipiendi, benignissime praevenisti. *Quam* *) *dulcia faucibus meis eloquia tua.* Verbis consequi non possum, quam dulcis cibus et potus sit, facere voluntatem Patris! (cf. Joh. 4, 34.) Tantum deliciarum in dulcissima erga te Pater charitate reconditum est, ut lubentissimo animo suscipiendos omnes ad ultimum cruciatus pro tuo honore censeam. „*Calicem, quem dedit Pater*" faucibus „*meis non bibam illum?*" (Joh. 18, 11.) quo in calice meum obsequium amantissimum acerbitatem Passionis mollit et tua gratissima pietas amaritudinem dolorum lenit? Calicem istum non bibam? nonne prae dulcedine obsequii „*proposito mihi gaudio sustineam crucem?*" (Hebr. 12, 2.) *Super mel ori meo.* Nec corde tantum ad exsequendam voluntatem tuam promto animo afficior, sed ori etiam nil nomine tuo et mandatis tuis dulcius habeo. Propterea, quemadmodum omnibus „*in diebus carnis meae preces supplicationesque ad te, qui posses me salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens exauditus sum pro mea reverentia*" (Hebr. 5, 7.) in qua nil nomine tuo ori meo dulcius fuit: sic praesertim hodie tuum, Pater! nomen dulcissimum in cruce pronuntiabo. „*Orabo dicens: Pater mi! si non potest hic calix transire,*" (si postulant eloquia tua), *fiat voluntas tua.*" (Matth. 26, 42.) Iterum quum tuum nomen super mel ori meo futurum sit, „*clamabo voce magna: Pater! dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*"

---

*) (Hebr. mah.)

(Luc. 23, 34.) *„Pater! in manus tuas commendo spiritum meum,"* et nomen hoc et vivo mihi et moribundo in ore jucundissimum *„dicens: exspirabo."* (Luc. 23, 46.) *A mandatis tuis *) intellexi.* Ex edictis tuis sapere disco et cognovi, quid mandata tua postulent. Quare in hora mea voluntati tuae facile acquiesco dicens: *„Calicem salutaris accipiam et nomen"* perdulce perque jucundum ori meo *„invocabo."* (Ps. 115, 4.) Quamvis igitur humana natura mea ingens onus Passionis reformidet, ea tamen intelligentia, quae ex praeceptis et prophetiis mihi comparatur, satis ad recreandam animi constantiam potest. *Propterea odivi omnem viam iniquitatis.* Quod voluntatem tuam continenter perspectam habeo et tuis semper veracissimis consiliis meam voluntatem applicui dicens: *„Ecce venio! et: Calicem salutaris accipiam;"* ideo tramitem mendacii detestor et strenue ac fideliter hodie fidem meam praestabo.

Nun. *Lucerna **) pedibus meis verbum tuum.* In hac nocte suprema, in qua spissae tenebrae mihi oriuntur et densissima caligo abjecto mihi metu ultimo horrendos mortis pavores injicit; in hac nocte, in qua solito violentius *„princeps"* tenebrarum dominatur et *„Lucem mundi"* (Joh. 8, 12.) furori nocturno praedae dat et committit extinguendam; in hac nocte, in qua atra cupiditas animos inimicorum obcoecatos premit actosque coeco impetu in me stimulabit; in hac igitur nocte, in qua *„hora peccatorum et potestas tenebrarum est"* (Luc. 22, 53) tuae Pater! benignissimae gratiae splendor horrores noctis istius illustrat et formidolosis tenebrarum iracundiis claritas tua infulget. Qua in nocte si traditor *„veniet cum laternis et facibus,"* (Joh. 18, 3.) ut tetrum facinus suum perpetret, Filius tuus voluntatem tuam ut lucernam et bonitatem tuam ut facem suam habebit. *Et lumen semitis meis.* Omnia, quae me circumdant, tenebris inscitiae cooperta sunt nec impii

*) (Hebr. mipikudécha.) — **) (Hebr. ner.)

tantum ac feroces tortores mei omni *lumine* intellectus egent, sed ipsae mulieres etiam, quae, doloribus meis illacrimantes, obviam mihi veniunt, *nesciunt*, quo haec abjectissima mea mors crucis valeat. Mihi autem in semitis meis ad Ánnam et Caipham, ad Pilatum, ad Herodem et denique ad Calvariam voluntas tua lux est et adeo distincte interlucet, ut nox horae hujus aciem meam non hebetet, sed ego res futuras perinde ut gestas prospiciam. „*Conversus itaque ad illas dicam: Filiae Jerusalem! nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros.*“ Hoc lumen quia Pater mihi accendit, luce clarius animo prospicio, „*venturos dies, in quibus dicent: Beatae steriles et ventres, qui non genuerunt et ubera, quae non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos! et collibus: Operite nos!*“ (Luc. 23, 28.) *Juravi* *) *et statui custodire judicia justitiae tuae.* Quam falso hodie mihi exprobratur, me in Moysen commisisse! qui *jurejurando* votum susceperim, crimina, delata ad Pilatum, fidissima in te pietate me refutare velle. Semel juravi dicens: Ecce venio! ecce! paratus sum ipsa morte legi et prophetis finem suum imponere. Nullas deprecor poenas, sed pro salute hominum, quae Justitia tua a me exigit, supplicia luere paratus sum; ita enim justissimis tuis sententiis placuit, ut hac in hora mea „*suscites me ad justitiam ut omnes vias meas*“ vel usque ad crucem! „*dirigas et ipse aedificem civitatem tuam et captivitatem dimittam, non in pretio neque in muneribus*“ sed pretiosissima morte mea crucis. (Jes. 45, 13.) *Humiliatus sum* **) *usquequaque.* Ardentes invidia undique infesti in me feruntur et, simul crucem bajulanti simul omnia totius mundi peccata portanti vires mihi fluunt et ita me deficiunt, ut ter *humi* prolabar: „*Non est species mihi neque decor. Vident me et non est aspectus et desiderant me despec-*

---

*) (Hebr. nischbathi:) — **) naanethi)

tum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem; est quasi absconditus" — prae vulneribus et sputis! „*vultus meus et despectus, unde nec reputant me.*" (Jes. 53, 2.), Oppressus sum et afflictus valde; neque enim, ut olim prophetae, in figuram, sed „*vere languores omnes solus fero et dolores omnes solus porto.*" Ita ulceribus coopertum me vident, „*ut*" putent me quasi leprosum et percussum a Deo — sicuti est! — „*et humiliatum.*" (ib. v. 4.) **Vivifica me.** Da quidem furori eorum ad indignissimam mortem me ducere et, quum prope nil jam integri sit in corpore loci ad nova vulnera infligenda, nil super sanguinis sit, quod dare pro hominibus possim, sine eos bacchari etiam in caede mea et vitam „*Vitae*" ferocienti inimicorum crudelitati offerri, sed ita, ut vivifices me — **secundum verbum tuum.** Pollicitus enim es „*te dicturum hodie ad contemtibilem animam meam: Reges videbunt et consurgent principes et adorabunt propter Dominum, quia fidelis est.*" (Jes. 49, 7.) Recrea et vivifica me secundum illud verbum tuum, quum promisisti, „*in tempore placito te me exauditurum esse et in die salutis auxiliaturum esse mihi et servatum Salvatorem te daturum esse in foedus populi, ut suscites terram et possideas haereditates dissipatas.*" (Jes. ib.) Vivifica me! ut, hanc crucem et mortem perpessus, *vivus* ex mortuis resurgam et nil sit morte mea *vivificentius*, nil cruce mea gloriosius, nil obitu meo salubrius — usque eo quidem, ut „*Ego resurgam ex mortuis primitiae mortuorum.*" (I. Cor. 15, 20.) Vivifica me, et sicut jussu tuo „*fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic sit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus, tertia autem die resurgat!*" (Matth. 12, 40. Luc. 18, 33.) Vivifica me, ut, ubi primum ita restitutus ero, „*verbum crucis*" (I. Cor. 1, 18.) convertat animos in amorem „*verbi vitae.*" Et quodsi in hac hora „*inglorius est inter viros aspectus meus et forma mea inter filios hominum,*" (Jes. 52, 14. cf. Matth. 15, 21.) vivifica me et praesta,

ut *reviviscam* et sanguine meo ac *„lavacro aquae in verbo vitae mundum sanctificem“* (Eph. 5, 26.) Concede, ut *aspergas gentes multas, ut super me contineant reges os suum, quia, quibus non fuerit narratum de me, videbunt et qui non audierint, contemplabuntur“* et quieti imperio meo parebunt. (Jes. ib.) In imperio autem meo hoc situm est, ut in credentibus tibi et dicto parentibus *vivam: „haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum.“* (Joh. 17, 3.) *Voluntaria *) oris mei beneplacita fac Domine.* Spontanea sacrificia oris mei, quae nunc etiam sacrificio crucis conjungo, et preces, quas cum frequentibus cordis gemitibus fundebam, precor te atque obsecro, ut pro gente mea humana veniam impetrent. *Et judicia tua doce me.* Si viam crucis pavesco et, medius inter Jerusalem et Calvariam consistens, pergere horreo: revoca, quaeso, in mentem, te ipsum, acerrimum patientiae meae spectatorem ac judicem, tam severe te me statuisse, ut hoc pretio egregia de Diabolo victoria et Redemtio constet. Illud sciam in hora mea, me *„Agnum Dei esse, qui tollit peccata mundi, in quo tu ponis iniquitatem omnium hominum.“* (Jes. 53, 6.) *Anima mea **) in manibus meis semper.* Semper nec nunc solum ego versor in extremis horae terroribus; nec nunc tantum manus suas sanguine meo imbuere gestiunt: semper me omnium, qui vivunt, infestissimum habebant, semper vita mea praesenti periculo exposita fuit. Quid? si nunc, quum hora mea venit, qui semper ab audienda Doctrina mea abhorruerunt, il nunc omni odio efferati se ad extremam vim mihi inferendam promtissimos praestant?

Sed in alio etiam eoque altiore ac sensu mystico semper *vita* mea in manibus meis erit. Quum enim in novo Testamento ego Hostia *viva*, quae cruenta hodie in cruce oblatus ero, continuo per Sacerdotes meos offerar:

---

*) (Hebr. nĕdebóth.) — **) (Hebr. náphschi.)

in manibus meis semper ero. Nam Sacerdotum dignitas quasi manus mea est, quae in Sacrificio incruento semper hanc oblationem meam redintegrabit. „*Semper*“ inquam, eucharisticum corpus meum et sanguis meus in meis et sacerdotum manibus erit. Qua propter nocte proxima, quum vitam meam h. e. panem *vivum* pariter et *vitalem*, manibus gerebam, ita dixi: „*Haec quoticscunque feceritis, in mei memoriam facietis.*“ (1. Cor. 11) *Et legem tuam non sum oblitus*, qua lege „*juravisti et non poenitebit te, me futurum esse sacerdotem in aeternum secundum ordinem Melchisedech.*“ (Ps. 109, 5. Hebr. 5, 4.) *Posuerunt* *) *peccatores laqueum mihi.* „*Filius hominis traditus est in manus peccatorum*“ (Matth 26, 45.); namque ipsos istos, qui „*sanctum et justum me negant*“ (Act. 3, 14.) non injuria peccatores voco. Facinorosi isti laqueum mihi posuerunt: primum enim *insidiose* circumventum, osculatus etiam, Judas dux eorum, me tradidit; tum satellites eorum „*manus in me injecerunt et tenuerunt me*“ laqueis et restibus (Matth. 26, 50.); denique *vinctum* adduxerunt me et tradiderunt me Pontio Pilato. (id. 27, 2.) *Et de mandatis tuis non erravi.* Venerint illi cum funibus ad vinciendum me et armis (Joh. 18, 3.), ego tamen, a mandato tuo non deflectens, lubenti animo horam meam exspectavi et in voluntate tua immotus persevero ita ut illi, ad tantam fortitudinem meam obstupefacti „*abirent retrorsum et caderent in terram.*“ (Joh. 18, 6.). De mandatis tuis, quae mihi apud Isaiam dedisti, non aberro et „*offeror, quia ipse volui et non aperio os meum; sicut ovis ad occisionem ducitur et quasi agnus coram tondente se obmutescit et non aperit os suum: sic ego in Calvariam agor.*“ (Jes. 53, 7.) *Haereditate acquisivi* **) *testimonia tua.* Omnium primum illud testimonium, quod in Paradiso ad primum Adam edidisti: „*Spinas et tribulos germinabit*

---

* (Hebr. natbenu.) — **) Hebr. nachalthi.

terra" (Gen. 3. 18.), nunc me alterum Adam utpote justissimum haeredem dirarum illarum excipit. Unde fit, ut „*imposuerint mihi plectentes spineam coronam*" (Marc. 15, 7.) Quia haeres istius mandati tui sum, hodie ad Passionem meam „*exivi portans coronam spineam.*" (Joh. 19, 5.) Haereditor hodie, quae Figurae meae usque ab Adam de Passione mea praemonuerunt. Quum enim Abel innocens, ut meam mortem innocentissimam praemonstraret, ab ipso fratre sub divo et in eodem loco, ubi sacrificabat, occisus est: haec *sors* mihi obvenit, ut a Judaeis fratribus meis in eadem, qua Patri me immolo, cruce extra civitatem Jerusalem occidar. Tum Isaak primogenitus Abrahae filius ideo lignum, quod pater ei imposuerat et super quod occidendus erat, ipsum humero in montem gestaret oportuit, quia ego primogenitus Patris filius ex auctoritate ejusdem Patris mei has partes exsequi debeo, ut eam ipsam crucem, in qua mihi moriendum erit, ad mortem humeris meis portem: haec haereditas mihi venit! Joseph auctore Juda potissimum viginti argenteis venundatus et a „*fera pessima*" periisse simulate dictus est, quoniam ad me velut haeredem haec vitae conditio transitura erat, ut et ipse a Juda fratre et familiari meo, triginta argenteis venditus, in violentas degeneris et efferatae gentis Judaicae manus inciderem. Deinde Moyses in in deserto „*serpentem aëneum fecit et posuit eum pro signo, ut, qui percussus aspexisset, sanaretur,*" (Num. 21, 9.) quia haec haereditas mihi obventura erat, ut, si „*ego exaltatus fuissem, omnia traherem ad me ipsum, et quia ego, sic exaltatus, peccata,*" quae Serpentis invidia in mundum illata sunt, morte crucis quasi antidoto auferrem et tollerem. Ego sum „*filius David*" et idem haeres utriusque fortunae David et id a patre meo haeridatus sum, ut, quum undique nulla facies mali mihi desit, tamen exemplum Davidis sequens dicam: „*Pater! in manus tuas commendo spiritum meum.*" (Ps. 30, 6. Luc. 23, 46.) Porro quas inter Prophetas imprimis Daniel afflictiones sustinuit, harum ego haeres

exsisto; quia enim Danielem „*in lacum leonum*," ubi deglutiretur, jecerunt, ideo ad me haec haereditas perventura est, ut hodie „*aperiant super me os suum sicut leo rapiens et rugiens.*" (Ps. mess. 21, 12.) Porro si Samson „*filius solis*" non prius quam leone discerpto sponsam suam e Philisthaeis duxit, mihi — Lumini de Lumine — hoc evenit, ut tum denique Gentilitatem ut Sponsam acquiram, quum caput „*Diaboli leonis rugientis*" (1 Petr. 5, 1.) hodie per me contritum erit. Et alias quum idem Samson ab hostibus captus, obcoecatus, illusus est dicentibus: „*Tradidit Deus noster adversarium nostrum in manus nostras*" (Judd. 16, 24.): ego acquisivi haereditate hoc testimonium tuum; namque me, postquam in potestatem inimicorum incidi, si non execcant, at „*velant faciem meam*" (Marc. 14, 65.) et illudent me dicentes: „*Prophetiza! Ave! rex Judaeorum!*" „*At Samson invocato Domino, ait: Domine Deus, memento mei et redde mihi fortitudinem pristinam Deus meus. Et apprehendit ambas columnas, alteram earum dextera, et alteram laeva tenens, et plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat.*" (Judd. 16, 28.) En haereditas veri „*filii patris Luminum!*" Ego enim hodie orabo: „*Deus meus! Deus meus! ut quid dereliquisti me?*" et tu reddes mihi virtutem meam, ut „*terra moveatur et petrae scindantur, et centurio et qui cum eo sunt, custodientes me timeant valde dicentes: Vere filius Dei iste est.*" (Matth. 27, 54.) Ego hodie extentis brachiis in cruce totam domum principis hujus saeculi convellam et, postquam vivus permultos „*gladio oris mei interfeci,*" moriens tamen occidam Diabolum et omnes, qui ejus sunt: interficiam plures moriens, quam vivus interfeci — *In aeternum.* Usque ad consummationem saeculi haec passionis meae haereditas permanebit. Qui enim societatem gloriae meae habere voluerit, hic ante omnia hanc haereditatem Passionis meae accipere debebit. „*Qui volet venire post me, tollat crucem suam*" velut haereditatem, a Crucifixo Suis relictam. Solummodo „*si compassi fuerint, et*

conglorificabuntur." (Rom. 8, 17.) *Quia exultatio cordis mei sunt.* Desiderio desideravi hoc Pascha Passionis meae agere, quia fructus et gloriosum mortis meae exitum perpendo. „*Si enim hodie exaltatus fuero,*" abunde semper erit, quod exultem: „*omnia traham ad me ipsum.*" (Joh. 12, 32.) Nam, vixdum me mortuo, in execrationem judaici sceleris unam omnia elementa sententiam proferent. Obscuratis luminaribus coeli et converso in noctem die, terra quoque insolitis motibus universaque creatura impiorum usui se negabunt. Omnia traham ad me ipsum: quippe scisso velo Templi Sancta Sanctorum ab indignis pontificibus recedent, ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem, Lex in Evangelium vertatur. Hodie omnia traham ad me ipsum, ut, quod in uno Judaeae Templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertoque sacramento universarum ubique nationum devotio celebret. Crux mea omnium fons benedictionum, omnium erit causa gratiarum: per quam Credentibus dabitur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Haec hora exultatio cordis mei est, quia, quum omnia traxero ad me ipsum, carnalium quoque sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis mei implebit oblatio. *Inclinavi *) cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum.* Modo tuum auxilium ne desit, ego voluntati tuae patientiam non denego. Cum illi igitur atrociter in me consulunt: ego misericorditer eos deploro; cum illi dolore ardent circa me et iracundia furunt: ego charitate inflammatus lenissimo animo crucem meam bajulo; cum illi foedissimis criminibus et ignominiis me obruunt atque obprimunt: ego promissis, quibus Filium hominis onerasti, recreor ad pergendum ire in via crucis; dum illi mox ad tollendum Innocentem ipsum in crucem projecti sunt: ego ad extremum omni in

---

*) (Hebr. natíthi.)

voluntatem tuam obsequio me devoveo; modo tu mentem meam ad obtemperandum numini tuo accendas, si extremum spiritum effundam, non alii fidei me committam, sed in tuas manus commendabo spiritum meum. ***Propter retributionem.*** „*Appenderunt mercedem meam triginta argenteis. Tu autem dicis ad me: Projice illud ad Statuarium*" — Patrem me Creatorem, qui ulciscar — „*decorum pretium, quo appretiatus es ab eis.*" Et ecce! hodie hos „*argenteos triginta fero et projicio illos in domum Domini, ad Statuarium*" — ut mihi retribuas — „*et dissolvas hodie germanitatem inter Judam*" — qui me confitentur — „*et Israël — qui crucis morte offenduntur.* (Zach. 11, 12. Matth. 27, 9.) O praestantissimam humilitatis mercedem! Cruce mea Juda i. e. Confessores mei et Israël h. e. osores crucis discernentur. Et si quis peccaverit, nunc habebit, quo confugiat; et haec est praeclara merces, quod etiam „*impios mihi d a b i s pro sepultura et divitem pro morte,*" (Jes. 53, 9.) si impius ad pietatem fidei, dives ad paupertatem in spiritu conversus erit.

Samech. *Iniquos *) odio habui.* Qui nunc ad Juda nunc ad Israël inclinant, modo confiteri modo me negare volunt: hos reprobabo. Hora mea communem licentiam facit; felicem autem, cujus fides hac tanta humilitate non flectitur! „*beatus, quicunque non fuerit scandalizatus in me.*" (Luc. 7, 23.) ***Et legem tuam dilexi.*** In tortoribus meis obsequiosa fide tuae voluntatis ministros amplector. O vicem meam cum auditu posteris crudelem, tum visu nunc nefariam! Et tamen in tua lege occupatus sum, qua lege de me dictum est: „*Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis.*" (Ps. mess. 44, 10.) Hanc legem accipio, ut unicus ornatus meus hodie sit fortitudo patientiae, quae acerbissimorum dolorum amaritudinem (myrrham) constan-

---

*) (Hebr. seaphim = „*divisos*" h. e. homines ambiguae pietatis, διψύχους.)

ter perseveranterque suscipiam. Tum ideo legem tuam vehementer probo, quia a te Pater hodie odores humilis obedientiae (aloen) spirare jubeor, qua conviciis indignissimis, quibus me pungunt, et aculeatis sermonibus eorum ut vermiculis rodentibus et putredini malignitatis resisto. Denique legem tuam diligo, ut hac in hora Humanitas mea, quam Divinitas ut vestem egregiam induta est, suavissimo charitatis affectu fragret (cassia) et ut in ferventi flamma amoris humana natura mea vere ut holocaustum tibi offeratur. *Adjutor*) et susceptor meus es tu.* Hic ego ad crucem bajulandam ducor: illinc infestissimo odio notor; hic ego dulcissima voluntatis tuae luce illustratus ad certum et conspicuum finem meum accedo: illinc omnes furiae tenebrarum concitatis odiis in me irruunt. Nihilo minus tamen de constantia mea non dimoveor; habeo enim, quo fugitem, tutelam. Tu idem susceptor meus es, et qui consternatum me toties respirare et conquiescere sinebas in contemplandis altioribus, quae concipiebas, consiliis tuis: Pater! in hora hac me oppressum erige. Quum ut pestem Judaea me respuit et ut fatale prodigium, omnibus exsecrationibus oneratum, omnibus conviciis grave, foras projecit: tua interea clementissima pietas benigne in tuam bonitatem me recipit. Ego prostratus sum: at tu perculsum et abjectum me *suscipies* in Resurrectione de sepulcro; ego hodie ter humi prosternor et usque ad eam quoque abjectionem dignitas mea detruditur, ut in aequo cum sceleratis latronibus me ponant: at tu susceptor meus es et per te cum sanctis choris Angelorum in Altissimis ad dexteram Majestatis tuae collocabor. *Et in verbum tuum supersperavi.* Quum immodicae fervor invidiae in via crucis me urat, et odiis ingentibus solito impotentius animi inimicorum aestuent: tamen verbum tuum bonam spem mihi facit et protinus magnum Messiae animum

---

*) (Hebr. sithri = „*latibulum meum.*")

capio. Hoc verbo enim tuo intrepida voluntate ad torrentem, qui motibus irarum aestuat in populo et qui doloribus in me fremit, interritus accedere jussus sum. Audivi enim hoc promissum adjungi, ita, si „*bibissem de torrente*“ Passionis „*in via*“ crucis, sic majore cum gloria me emergi et exhaustis doloribus decere „*caput meum exaltari*“ (Ps. mess. 109, 7.) nam Tu — exaltator, susceptor meus es. *Declinate* *) *a me maligni.* Procul este a fructibus Passionis meae, qui, quum ad omnia semper infidi prophetis vestris fuistis, nunc etiam in illusores et tortores Messiae vestri degenerastis! Qui salutem, ultro vobis primis oblatam, tam foede repulistis: ipsi semper repellimiuor! Hanc poenam scelere christicidii adstrictis in hora „*judicii mundi*“ imprecor, ut eadem, qua hodie, amentia et coecitate animi semper teneanimi nec unquam vobis me inveniendi copia fiat. „*Recedite inquam a me!*“ in hoc primo meo judicio ut in extremo judicio reprobis dicturus sum: „*Recedite a me!*“ Nam hoc in judicium ego in hunc mundum veni, ut, qui non vident — gentes — „*videant, et qui vident*“ — Judaei — „*coeci fiant.*“ (Joh. 9, 39.) Descedite a me et este remoti a salute mea, namque „*ego vado et quaeretis me*“ — Messiam vestrum, sed — „*in peccatis vestris moriemini*“ salute Christi non inventa. [Joh. 8, 22.] *Et scrutabor mandata Dei mei.* Maligni isti, quos miseria mea etiam infestiores facit, atrocissime me pessumdare ardent: ego autem omnes dolores fero et de tuo consilio, hanc salutem recuperandi hominibus, assidue cogito. Declinate igitur a me! nam „*quo ego*“ (secundum mandatum Patris) „*vado, vos non potestis venire.*“ Ego per mortem, a Patre ita impositam, vadere debeo ad immarcescibilem Resurrectionis, Ascensionis et omnis Potestatis gloriam: de vobis autem statutum esse apud me cogito, ut ex his ovationibus licentiae et tripudiis crudelitatis

*) (Hebr. suru.)

in luctus Tartari et horrores luridos gehennae intretis. Mandata Dei mei quum scrutor, in ipsis extremis his afflictionibus memoria mandati tui mihi non obolevit, quo haec vicissitudo nostra exposita est. Cum prece pia mihi repeto illud Messianum: In die Passionis suae *„quid est homo, quod memor es ejus et Filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paullo minus“* — ad breve horae meae momentum — *„ab angelis;“* sed mox *„gloria et honore coronaveris eum et constitueris eum super opera manuum tuarum.“* (Hebr. 1, 7. cf. Ps. 8.) Contra quid de persecutoribus meis malignis mandatum est? Nonne ut, omnibus ornamentis Synagogae amissis, etiam a regno coelorum excludantur? *„Jesum videbunt propter passionem mortis gloria et honore coronatum“* (Hebr. 2, 9): vos vero dedecore et ignominia insignite notabimini aeterna. ***Suscipe me*** *) ***secundum eloquium tuum.*** Succurre mihi! te unum in auxilium voco. Subveni tandem! haec namque est illa dies unica, in qua supplicio cordis omnem gentem humanam, scelerum omnium illuvie maculatam, sordibus omnium impietatum squallidam, abluere debeo. Memento eloquii tui, quo dixisti: *„Auferam iniquitatem terrae in die una.“* (Zach. 3, 9.) ***Et vivam.*** Gravem hodie et concisum vulneribus tu ita me elevabis, ut ope tua *redivivus* ex mortuis existam et vivam in animis eorum, qui, *„verbo vitae“* suscepto, *„ex fide“* mea vivent. (Rom. 1, 17.) ***Et non confundas me ab exspectatione mea.*** Eheu perditos! Haec mea conditio abjectissima animos etiam iis facit! Cave igitur, Pater! ne spes mea, quam in te colloco et unde in hac via animi accedunt, me destituat; nam tantum fiduciae mihi in auxilio tuo est, ut, etiam si duodecim legiones te postulare possem, (Matth. 26, 53.), inermis et nudus in Passionem descendere maluerim. Num tanta mea fiducia pudori mihi fuerit? Igitur *ad-*

---

*) (Hebr. somkéni.)

*juva me**) *et salvus ero*, et debellata morte non incolumis tantum, sed gloriosus etiam et ita resurgam, ut deinceps „*detur mihi omnis potestas in coelo et in terra.*“ (Matth. 28, 18.) Te bene adjuvante salvus et Salvator evadam. Te autem imploro, quia „*te, propter quem omnia et per quem omnia et qui multos filios in gloriam adduces, decet me auctorem salutis eorum per passionem consummare.*“ (Hebr. 2, 10.) ***Et meditabor in justificationibus tuis semper.*** Semper et in omni vel funestissima hac conditione, quum coeca ira omnes animarum impetus in me effundunt, tuam voluntatem perpendens, non in eum metum adducor, ut extimescam, ne patientia inceptum meum non obtineam; illud enim mecum recordor, „*oportere haec pati Christum.*“ Sic sane fieri necesse est, ut insano furore trucem hunc in me clamorem et diras exsecrationes istas tollant, ut conviciis lacerent Salvatorem, et, latratu suo humilitatem meam adlatrantes fremituque omnia complentes, me ad Calvariam prosequantur; de me enim ita Scriptura habet: „*Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Circumdederunt me canes multi.*“ (Ps. 21, 13 et 18.) ***Sprevisti*****) ***omnes discedentes a judiciis tuis.*** Omnes Judaeos, qui, tam indigne prophetiarum et consiliorum tuorum obliti, mortem in me machinantur eamque mortem crucis: omnes hos Judaeos communi omnium aetatum *despectui* expones. ***Quia injusta cogitatio eorum.*** Injuria „*justum me et Sanctum*“ justitiaeque restitutorem ut injustum et impium ad supplicium trahunt; Judaei igitur, quia gens est ingratissima et stolidissima ubique terrarum in contemtu erit. ***Praevaricantes******) ***reputavi omnes peccatores terrae.*** Qui alii praeter Judaeos in eadem, qua isti, ferocia

---

*) (Hebr. seadéni.) — **) (Hebr. solitha.) — ***) Hebr. sigim = „*scoriae*“)

ad deposcendum sanguinem meum persistet, promissuo judicio in reprobae Judaeorum gentis numero reponam. Nunc enim, quum sit hora tenebrarum, simul „*judicium mundi*“ exercetur, (Joh. 12, 31.) quo in judicio „*Dominus in manu habet ventilabrum purgaturus aream suam et congregaturus triticum in horreum, paleas autem combusturus.*“ (Luc. 3, 17.) Judaei ergo, qui quasi in incude afflictionum a Deo positi et in igni tentationum fidei constantiam et firmitatem animi spectandam Messiae suo exhibere debuerunt et debent praesertim in „*hoc tempore visitationis suae*“ (Luc. 19, 44.), Judaei inquam, qui neque flammas charitatis meae neque afflictionum ardorem sustinuerunt, sed contra utrobique cum singulari *levitate* ingenii nequitiam et ignaviam perfidiae ostenderunt: vilissimarum *scoriarum* instar reputabuntur et „*foras ejicientur.*“ ***Ideo dilexi testimonia tua.*** Hanc ob causam nil voluntate tua apud me gravius est neque ullis reproborum istorum cruciatibus constantia mea discutietur; maximi enim aestimo illud testimonium tuum, quo per Simeonem prophetam tuum nuper dixisti, me „*positum esse et in ruinam et in resurrectionem multorum in Israël*“ (Luc. 2, 34.) Crucem meam quasi ventilabrum Deus gerit, qua nunc, quum judicium mundi est, scoria vanitatis judaicae et palea idololatriae ethnicae a veritate mea discernantur. ***Confige timore tuo carnes meas*** *) Vide victimam obedientiae! qui verecundissimo tui solius timore corpus meum offero *clavis in cruce transfigendum.* ***A judiciis enim tuis timui.*** Revereor enim gravissimam illam sententiam, quam de me dixisti ita fatus: „*Framea! suscitare super Pastorem meum! et super virum*“ — Filium hominis — „*cohaerentem mihi*“ — divina sua natura. — „*Percute Pastorem!*“ (Zach 13, 7. Matth. 26, 31.) Confige me

*) (Hebr. samar mipach decha besari = „*horruit a timore tuo caro mea.*“ Vulgata non „*samar*“ legit, sed „*simmer*“ quod significat: „*clavis confige!*“)

ergo: is metus enim ad me valet, ne Passionis meae, ad id loci exantlatae, nullus usus sit, nisi totum deditum tibi me cruci clavis affigerent. Paveo et exhorresco ad cogitationem, quam sententiam de hominibus laturus esses, nisi ad reliqua vulnera haec extrema quoque infligerentur. Vereor negligere illud mandatum tuum apud Zachariam prophetam: „*Videbunt in quem transfixerunt.*“ (Zach. 12, 10. Joh. 19, 37.) Et alio loco, quum hujus horae judicia in oculis meis sita essent, per patrem meum dixi: „*Foderunt manus meas et pedes meos.*“ (Ps. 21, 18.)

Am. *Feci *) judicium.* „*Nunc judicium est mundi, princeps mundi ejicitur foras.*“ (Joh. 12, 31.), nunc crux ut *tribunal* aeternum tollitur, ut stipite crucis meae caput Serpentis contundatur; nunc non dico tantum jus; sed tam severe judicium de Diabolo exercetur, ut, simul atque mea hora extrema venerit, in exitu extrema potestas ejus esse coeperit. ***Et justitiam.*** Nunc generi humano justitia sua restituitur; nunc divina etiam Justitia morte mea justificatrice placatur, nam innocentissimus veri Melchisedech — „*regis Justitiae*“ — sanguis effunditur et semper „*effundetur in remissionem peccatorum.*“ *Non tradas me calumniantibus me.* Noli me permittere voluntati detrectatorum meorum, qui, postquam me destructurum esse Templum conviciati sunt, nunc in eam rabiem vertuntur, ut ipsi Messiam, vivum Templum, in quo, „*habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*“ (Coloss. 2, 9.), tollere non dubitent. Noli, quaeso, totum me tradere blasphemorum libidini, quibus, omnia de dignitate mea trahere ausis, tam exilis sum, ut etiam mors luctuosissima ludificationi sit. Irrident enim me dicentes: „*Speravit in Domino! eripiat eum! salvum faciat eum, quoniam vult eum!*“ (Ps. 21, 8. Matth. 27, 43.) Cave relinquas me totum licentiae et arbitratui impiorum; illud potius

---

*) (Hebr. asithi.)

perfice, ut, omni calumnia exstincta, gloria nominis mei in dies augeatur, ut *„ariatur omnibus, timentibus nomen meum sol justitiae et sanitas in pennis meis."* (Malach. 4, 2.) Quae quum ipse fatus sis, illusores mei spe frustrentur et brachiis meis velut *alis*, quibus Meos tegam, in cruce expansis, recuperatio salutis paretur! *Suscipe**) *servum tuum in bonum.* *Suscipe me* hoc momento temporis, in quo crux mea elevatur, tuereque susceptum; *„nam in manus tuas commendo me."* (Luc. 23, 46.) Suscipe *servum tuum*, quem vides *„obedientem factum esse usque ad mortem, mortem autem crucis."* (Phil. 2, 8.) Suscipe servum tuum *in bonum*, ut jam exaltatus fructus obedientiae suae capiat et omnia trahat ad se ipsum, ut denique omnes prosperitates, quas oculis olim objectas contemplatus est, consequatur, (Ps. 21, 23.) Quum enim hac morte mea *„in victo me mors absorpta fuerit"* (1. Cor. 15, 54.), post Resurrectionem meam illud *bonum* feliciter mihi contingat, primum ut *„narraturus nomen tuum fratribus meis et te laudaturus sim in medio Ecclesiae."* (ib.) Tum ad *dulcedinem*, quam animus meus ex informatione *„fratrum meorum"* (Matth. 28, 10.) h. e. Apostolorum capiet, illud etiam bonum accedat, quod hoc corpus meum, hodie in cruce oblatum, hostia relinquatur manducanda fidelibus meis: etenim *„erit apud te laus mea in Ecclesia magna, vota mea"* — sacrificia incruenta Eucharistiae — *„reddam in conspectu timentium te. Edent"* — ex pane meo coelico — *„pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum."* (ib.) Suscipe me in bonum, ut pastis et potatis carne mea et sanguine meo *„vivant corda in saeculum saeculi."* (ib. v. 27.) Et hac suavitate sacratissimi Panis ubi animi Fidelium delectati fuerint, postremo illud bonum adhuc accumula, ut verbum de Crucifixo me in dies singulos latius diffundatur, ut *„reminiscantur et convertantur ad te universi fines terrae et adorent in conspectu Domini*

---

*) (Hebr. arób.)

universae familiae Gentium, ut manducent et adorent omnes pingues terrae, in conspectu meo cadant omnes mortales; qui descendunt in terram." (Ps. 21, 28 et 30.) ***Non calumnientur me superbi.*** Superbis istis, qui quid contra mansuetudinem meam vel dicere vel agere possent, semper intenti animadvertebant, insolentibus istis ne contingat, ut aliquem fructum superbiae et blasphemiarum capiant. Minime vero! audio enim te dicentem: „*Ecce servus meus! suscipiam eum; electus meus! complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet.*" (Jes. 42, 1.) ***Oculi mei*** *) ***defecerunt in salutare tuum.*** Oculi mei non aliunde, quam a tua pietate, opem quaerunt et ego dico: „*Eli! Eli! lamma sabachthani?*" (Matth. 27, 46.) ***Et in eloquium justitiae tuae.*** Oculi mei non ad injurias, quae Crucifixo mihi inferuntur, non ad petulantiam, qua ultra humanatum irarum fidem in me saeviunt, sed ad mandata justitiae tuae respicio; quoniam enim tuam justitiam et tuum studium justificandi homines hoc supplicium de me sumere scio, ideo ardenter concupisco salutem, quam Justitia tua decrevit dicens: „*Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum meum et super urbem sanctam, ut consummetur praevaricatio et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas et adducatur laetitia sempiterna.*" (Dan. 9, 24.) ***Fac*** **) ***cum servo tuo secundum misericordiam tuam.*** Nunc hora venit, in qua non judicium modo habeatur de principe mundi, sed in qua singularem tuam misericordiam ostendas in expiatione hominum et in institutione novi Testamenti. Nunc illa „*hora beneplacita est, in qua me exaudias; dies salutis est, in quo auxilieris mihi et serves me et des me in foedus populi.*" (Jes. 49, 8.) Fac mecum secundum misericordiam tuam, quae non vivos tantum, sed mortuos etiam amplectitur, ut ad

---

*) (Hebr. aenât.) — **) (Hebr. aséh) [illegible]

inferos quoque descendens „*dicam his, qui vincti sunt: Exite! et his, qui in tenebris: Revelamini!*“ (Jes. 49, 9.) Filio tuo, qui usque eo servus tuus apparet, ut servile crucis supplicium subjerit, concede misericors Pater, ut, quos morte sua redemerit, nec dum in Limbo tenentur, sed ad fidem meam accessuri sunt, his quoque infinitae benignitatis tuae indicia proferas. Qua ductus dixisti: „*Super vias*“ — justitiae Filii mei — *pascentur et in omnibus planis*“ — quia in regno meo omnes valles implebuntur, omnes colles humiliabuntur (Luc. 3, 5.) — „*pascua eorum. Non esurient neque sitient*“ — nisi justitiam — „*et non percutiet eos aestus et sol, quia m i s e r a t o r eorum reget eos et ad fontes aquarum potabit eos.*“ (Jes. 49, 9.) ***Et justificationes tuas doce me.*** Doce me, quid statueris dicens: „*Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii et spiritu ardoris: in die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria et fructus terrae sublimis et exultatio his, qui salvati fuerint de Israel.*“ (Jes. 4, 4 et 2.) ***Servus tuus *) sum ego.*** Tui arbitrii sum et leto, quod in hac hora oppeto, tuae dumtaxat voluntati servio „*obediens factus usque ad mortem, mortem autem crucis.*“ ***Da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.*** Quum ex tua voluntate, ne quid Passionis, a Prophetis testatae, omittatur, clamanti mihi: „*Sitio!*“ continuo currens unus ex eis acceptam „*spongiam implet aceto et imponit arundini et dat mihi bibere*“ (Matth. 27, 48.): da mihi intellectum, sic ea fieri *oportere*. Si mortem meam tam impotenti licentia crudeliter aggravant, ut „*porrigant etiam myrrhatum vinum*“ (Marc. 15, 23.): da mihi intellectum, ita de me a patre meo praedictum esse, quum dixit: „*Dederunt in escam meam fel et in siti mea potaverunt me aceto.*“ (Ps. 68, 22.) Nec minus si „*est vas positum aceto plenum et si isti spongiam plenam aceto,*

---

*) (Hebr. abdĕcha.)

hyssopo circumponentes, afferunt ori meo" (Joh. 19, 29.): tu tua Pater praesentia fac intelligam, ideo hoc fieri, ut sors testimoniorum tuorum impleatur. Nunc enim gustato amarissimo hyssopo „*sanguinem meum novi et aeterni Testamenti*" in populum respergo vel potius effundo dicens: „*Hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus.*" (Hebr. 9, 20. Exod. 24, 8.) Denique illud mihi in mentem revoca, hodie ceremonias absolvendas esse, quas de Hirco emissario ad hanc diem Judaei observare jussi sunt. Quemadmodum enim hirco illi peccata populi Israël a summo Sacerdote imponebantur, sic ego „*Agnus Dei sum, qui tollo peccata mundi.*" Ut hircus ille emissarius omnibus contumeliis affectus, omnibus conviciis obrutus, plurimo sputo coopertus, per certa spatia in montem deserti trahebatur vel potius trudebatur, unde denique praecipitatus et neci datus est: sic ego utpote a te ipso de testimoniis tuis edoctus, petulantiae ac crudelitati Judaeorum me obtuli et, omnibus maledictis increpitus „*in cruce pendere debeo maledictum factus.*" Da mihi intellectum, ut cognoscam, ideo me „*extra civitatem pati,*" quia testimoniis tuis jam inde a Mose decretum est, ut, quarum victimarum „*infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, harum corpora cremantur extra civitatem.*" (Hebr. 13, 11. cf. Num. 19, 2.) *Tempus**) *faciendi Domine.* Hoc tempus, haec hora placita est, in qua *faciam* sacrum, quo unico sacrificio omnia veteris Testamenti sacrificia implentur. De hoc tempore jam Daniel praedixit fatus: *Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt et aedificabitur platea et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus.*" (Dan. 9, 25.) Tempus atque adeo dies est hodie offerendi sacrificium crucis; Judaei ipsi

*) (Hebr. aeth.)

in Sohar scriptum habent ita: *„Mense Nisan liberati sunt et eodem mense futuro liberabuntur et quidem die XIVto illius.“* Hic non dico tempus, sed dies est, de quo tu ipse apud Judaeos mecum communicasse narraris hoc modo: *„Liberabo eos per Verbum meum die XV mensis Nisan.“* (In Targum Hos. 3, 2.): Hoc tempus congruum est *„faciendi,“* namque hoc die Abel, sacrum *„faciens“* a Cain fratre occisus est. Hoc ipso die sanguis novi et aeterni Testamenti effundi convenit, quia hoc eodem die ita cum patre Abraham foedus veteris Testamenti pepigisti, ut Isaak filium super lignorum struem immolaturus esset. Hic est dies sacrificandi et implendi sacrificia: hoc die enim Melchisedech et ipse sacrificavit. Hic est dies, in quo, latere meo percusso et velo templi scisso, aditus ad Sanctuarium meum omnibus pateat: hoc die enim Esther, figura gentium peregrinarum, ita coram rege Assuero gratiam invenit, ut hodie gentes Patri meo reconciliantur. Hoc die Hiskias liberatus est, ut hodie tota Judaea jugo Legis liberatur. Hoc die Daniel e lacu leonum incolumis evasit, ut hodie ego morte mea mortem superabo. *Dissipaverunt legem tuam.* Ego veni non modo in mundum, sed etiam in crucem, non ut solverem Legem, qua in Lege haec mors mea dilucide praefinita est, sed ut adimplerem. Ego in crucem actus sum, ut Sacerdotium et Sacrificium, quae caput Legis esse adparet, hoc uno Sacrificio crucis ad perfectionis fastigium evehatur: illi autem auctore et conservatore Legis sublato, Legem ipsam tollunt. Conditore enim utriusque Testamenti extincto extinguunt pariter et rumpunt foedus, quod patres tecum inierunt. Ita fit, ut populus Judaeorum jam *„non sit populus, quia me negavit.“* (Dan. 9, 26.): eversores Legis et ipsi evertentur. *Ideo *) dilexi mandata tua super aurum et topazion.* Quia tandem haec hora, tam ar-

*) (Hebr. al-ken.)

denter exoptata, mihi advenit: prae mercede mortis meae omnia mihi vilescunt. Nunc, ubi omnia jussa tua exsecutus sum, ea toto corde amo atque diligo. Nunc de cruce illis mandatis tuis servio, quae mihi dedisti; nunc dico: „*Omnes sitientes venite ad aquas et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite! Venite! emite absque argento*“ — mors mea pluris est auro et topazio — „*et absque ulla commutatione vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus et laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me! comedite bonum et delectabitur in crassitudine anima vestra.*“ (Jes. 55, 1.) Obsequium meum adeo me delectat, ut, corpore moriens, animo tamen mandata tua diligam et clamem: „*Inclinate aurem vestram et venite ad me; audite et vivet anima vestra et feriam vobiscum pactum sempiternum.*“ (Jes. 55, 3.) ***Propterea *) ad omnia mandata tua dirigebar.*** Ideo diligentissime mandatis tuis obsecutus sum, quia omnia mandata tua diligo, ut post Passionem „*detur mihi nomen, quod est super omne nomen.*“ (Phil. 2, 9.) Unum autem illud mandatum tuum restat, quod impleatur, ut hominibus, hodie ad cruciandum me ferocissimis, mox autem ab hodierna feritate mitigatis, pudor poenitentiae saluberrimus animos vertat, ut, alienatis a Judaeorum pravitate mentibus et commiseratione moti quaerant: „*Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?*“ et ego, ut mandata tua observem, respondeam: „*His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me!*“ (Zach. 13, 6.) ***Omnem viam iniquam odio habui.*** Hominibus igitur, ad preces lacrymasque effusis et genibus Crucifixi jam accidentibus respondere pergam: Quia omnem viam mendacii detestatus sum, ideo in cruce mihi moriendum est. Attendite autem! „*quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?*“ (Luc. 23, 31.) Ad tempus quidem Veritas

---

*) (Hebr. al-ken.)

satellitibus mendacii tam foeda atrocitate extirpanda, tradita est, et ob viam aequitatis et justitiae ad crucem acta est: sed propter ipsam innocentiam suam tranquilla mente moriens dicere possum: „*Consummatum est!*" Quia omnem viam iniquitatis aversatus sum, ideo nunc sanctissimus „*in Patris manus commendo spiritum meum*" sanctissimum, nulla iniquitate deformem: Quid vos? —

Ad Nonam,

(in qua vita Christi in Ecclesia inde ab initiis monstratur.)

Pe. *Mirabilia *) testimonia tua.* Mirabile auditu est, quodcumque de me decrevisti! O mirandum facinus! ex cruce, humillimo supplicii servitiorum instrumento: vita, salus, libertas, redemtio et gloria mihi Meisque oritur! Quid vero mirabilius cogitari et fingi potest, quam quod ex auctoritate tua Vita, morte multata, Salubritas prae tormentorum cruciatibus languit, Lux, caligine mortis territa, auctor Solatii omni auxilio destitutus fuit? Cujus denique animum non capit admiratio, cum ideo crucis patibulo me affixum esse resciverit „*ut, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret?*" *Ideo scrutata est anima mea.* Quamobrem imprimis illud testimonium perlustro, quo jussisti, me fieri quidem „*lapidem, quem reprobaturi essent aedificantes, sed eundem esse in caput anguli. A te*" (et testimoniis tuis) „*factum est istud et est mirabile in oculis nostris.*" (Ps. 117, 22. Matth. 21, 42.) Diligenter igitur haec et talia stupenda altissimae voluntatis tuae mysteria reputantem quum mortis tormenta excruciarent: adeo non despondi animum, ut potius magis assidue in illud testimonium intenderem, quo

---

*) (Hebr. pelaóth.)

primum et mirabilem Passionis meae effectum, gloriosam Resurrectionem et Ascensionem promisisti dicens: „*Erit sepulchrum ejus gloriosum.*“ (Jes. 11, 10.) „*Domine! sede a dextris meis.*“ (Ps. mess. 109, 1.) Mirabile dictu! Foedissime paullo ante abjectum tu brevi ad dexteram gloriae Majestatis tuae collocabis, „*donec pones inimicos meos scabellum pedum meorum.*“ (ib. v. 2.) ***Declaratio***) sermonum tuorum illuminat.* „*Dies adpropinquavit,*“ nec jam obscuris prophetarum vaticiniis spes fluctuans animos pendentes alet, nec jam occultis prommissis oraculorum ad exspectationem venturi Luminis animi erigentur, nec dubiis ac raris Sanctorum exemplis quasi stellis quibusdam elucentibus ad orituram Evangelii lucem praeparantur: sed nunc declaratio aperta sermones tuos dilucidos reddit et illuminat. Jam enim ex gloriosa Ascensionis claritate mentes Apostolorum et si qui alii luminis mei capaces apparebunt, illustrabo. Jam Passione defunctus „*accipiam panem et benedicam et frangam et aperientur oculi.*“ (Luc. 24, 27.) Jam „*ortus est timentibus nomen tuum, Sol Justitiae.*“ (Malach. 4, 2.) Jam destructa potestate tenebrarum tanquam die illustri clarum Evangelii verbum „*Splendorem gloriae Patris clarificabit.*“ ***Et intellectum dat parvulis.*** Tu ergo, Pater! id auxilii praesta, ut, priusquam conspectui mansuetorum *humiliumque* Discipulorum subducar, de regno meo coelorum intelligant. Quadragiuta dies huc potissimum insistam, ut nova mea Jerusalem, quam „*sanguine meo acquisivi*“ tanquam, *lucerna sit, quam accendi et super candelabrum pono, ut intrantes videant lumen*“ ejus. (Luc. 8, 16.); Illud rogo, ne „*Civitas Dei abscondatur, sed sit velut supra montem posita et undique conspicua*“ (Matth. 5, 11.) tunc enim „*reversus ad Sion habitabo in medio Jerusalem et vocabitur Jerusalem civitas veritatis, et mons Domini exercituum mons sanctificatus.*“

---

*) (Hebr. Petach = „*apertio.*“)

(Zach. 8, 3.) *Os meum *) aperui et adtraxi spiritum.* Die Pentecostes, dum cordibus Apostolorum, expectatione Spiritus accensis, inhians quasi capto et immis cum desiderii suspiriis orationi et laudibus tuis incumbo: hoc die, summo animi ardore ad promissum Paraclitum anhelans, adtraxi Spiritum. *Quia mandata tua desiderabam.* Desiderio enim promissi Spiritus in Discipulis meis conficiebar. „*Hoc enim*" apud Joëlem prophetam mandatum erat: „*Et erit in novissimis diebus*" — in plenitudine temporum, — „*effundam de Spiritu meo super omnem carnem et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae. Et quidem super servos meos et super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo.*" (Joël. 2, 18. Act. 2, 17.) *Aspice **) in me et miserere mei secundum judicium diligentium nomen tuum.* Aspice in me propitius pro eo, quod amantibus nominis tui debetur; ipse enim statuisti et ipso die Pentecostes per Petrum tuum pronuntiasti, ut „*omnis, quicunque invocaverit nomen Domini*" (in Spiritu sancto!) „*salvus sit.*" (Act. 2, 21.) Igitur *gressus meos ***) dirige:* Meos Meorumque, quos mihi Discipulos adsumsi, gressus prospera tuaque gratia secunda, ut laetum Evangelii praeconium feliciter *procedens* tandem ad finem suum gloriosum eveniat. Dirige gressus meos, ut „*exeuntes in universum mundum praedicent Evangelium omni creaturae.*" (Marc. 16, 14.) *Secundum eloquium tuum.* Adsigno Apostolis meis peragrandam universam terram, quam secundum dictum tuum adeant, quo ita locutus es: „*Ecce! Dominus auditum fecit in extremis terrae, dicite filiae Sion: Ecce Salvator tuus venit! ecce merces ejus cum eo et opus ejus coram illo,*" (Is. 62, 11.) ecce! fructus Redemtionis suae ad vos per Apostolos affert, quos vobis dispertiat. *Et non dominetur*

---

*) (Hebr. pi.) — **) (Hebr. peneh.) ***) (Hebr. peamai.)

mei omnis injustitia. Illud ante omnia supplico, ne Ecclesiam, cujus egomet sum alter Ego, (cf. Act. 9, 4.); ulla omnino pravitatis aut perfidiae labes maculet; *sancta* enim esse debet Ecclesia, „*pro qua tradidi me ipsum, ut illam sanctificarem, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberem ipse mihi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut esset sancta et immaculata.*“ (Ephes. 5.) Non dominetur Ecclesiae omnis injustitia, namque „*erit ibi semita et via et via, sancta vocabitur: non transeat per eam pollutus; et haec via*“ — doctrina fidei — „*erit tam directa, ut nec ulli errent per eam.*“ (Jes. 35, 8.) Sancta sit Ecclesia mea et „*sit fides in temporibus ejus, sint ejus divitiae sapientia et scientia; timor Domini ipse sit thesaurus ejus.*“ (Jes. 33, 6.) „*Vocabunt enim Sanctos meos populus sanctus, Redemti a Domino.*“ (Jes. 62, 12.) et nomen Ecclesiae meae sit: „*Dominus ibidem.*“ (Ezech. 48, 35.) *Redime me* *) *a calumniis hominum.* Huic noli deesse auxilio, ut, quemadmodum nunc Sanctitati meae in Ecclesia detrahitur et dedecori est praedicare Evangelium de Jesu et quidem turpiter crucifixo: ita tandem praedicatores mei summo in honore habeantur. *Ut custodiam mandata tua*; ut, integri a contagione Judaeorum servati, verbis tuis exclament: „*Quam pulchri super montes pedes Annuntiantis et Praedicantis pacem; Annuntiantis bonum, et Praedicantis salutem, dicentis Sion; Regnabit Deus tuus.*“ (Jes. 52, 7. Rom. 10, 15.) *Faciem tuam* **) *illumina super servum tuum.* Tuam erga me benevolentiam mihi ostende et nunc, quum Judaei Evangelium crucis ut scandalum, Gentiles ut stultitiam aversantur (I. Cor. 1, 23.), imprimis clementiam tuam nobis monstra. Affulgeat, quaeso, super Jesum, in Ecclesia tibi soli *servientem*, facies tua et ea, quae

---

*) (Hebr. pedéni.) — **) (Hebr. panécha.)

in die judicii exstincta esse videbitur, benitas tua iterum mihi resplendeat. Nominatim vero mentes Credentium illustra, ut facibus, et benignissimam pietatem tuam cognoscentes et simul me Ipsum utpote faciem tuam et „*splendorem gloriae Patris*“ (Hebr. 2, 3.) pie intuentes, jam hic, aspectu tuo illuminati, quasi per speculum videant „*Lumen de Lumine.*“ Accende lucem veritatis super servum tuum, ut etiam illud, quod olim ad novam meam Jerusalem dixisti, eventum habeat. Dixisti enim: „*Non erit amplius sol ad lucendum per diem nec splendor lunae illuminet te*“ (Jerusalem), „*sed erit tibi Dominus in lucem et Deus tuus in gloriam tuam.*“ (Jes. 60, 19.) ***Et doce me justificationes tuas***, et is animus semper mihi sit, constanter ut, mandatis tuis inhaerens et jussis tuis immorans, in augendo regno coelorum progrediar. Nunc, quum Fides *illuxit*, doce me eas justificationes, quibus dixisti: „*In monte sublimi*“ — in Ecclesia — „*plantabo frondem*“ — Messiam, qui ut ramus recens olivastro veteris Testamenti insertus est, (cf. Rom. 11, 18 et 24.) — „*et erumpet in germen et faciet fructum et erit in cedrum magnum: et habitabunt sub ea omnes volucres et universum volatile sub umbra frondium ejus nidificabit.*“ (Ezech. 17, 22. cf. Luc. 13, 19.) ***Exitus *) aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.*** Quam dolenter affligor desiderio perditi et desperati mei Israël! quam graviter lugeo ac pendeo vicem populi Judaeorum! Certatim Ecclesiae Jesuque manant maerore lacrymae, quod Israël, qui vel post manifestam Resurrectionem meam contumaciter nomen Jesu aversatur, ros miserrimas incurret.

Zade. *Justus **) es Domine.* Quamquam autem summa et extrema ultionis tuae acerbitas instet neque tantum totius urbis Jerusalem excidium, sed

---

*) (Hebr. palgé.) **) (Hebr. Zadik.)

segni etiam Judaeorum occasum cum lacrymis adventare video; tamen non injuste te id fecisse neque injuria id accidisse profitebor. Justus fuisti Domine in expulsione Adami ex Paradiso nec minus justitiae documentum exstat diluvii inundatio: justus etiam es in eversione Jerusalem. *Et rectum judicium tuum.* Tu Domine „*sepivisti vineam*“ — tua tutela ac Lege sacravisti Israël — „*et lapides elegisti ex ea*“ — scandala gravia v. gr. Dathan, Abiron mirabiliter removisti — „*et plantasti eam electam et aedificasti turrim in medio ejus*“ — Templum condidisti augustissimum et urbem Jerusalem magnificam: — „*et exspectavisti, ut faceret uvas et fecit labruscas*“ quid dico? germinavit spinas! (Jes. 5, 2. Matth. 21, 33) Ergo rectum judicium tuum, si nunc „*pones eam desertam, si non amplius putabitur nec fodietur, si nubibus mandabis, ne pluant super eam imbrem*“ — largitatem gratiarum. — „*Exspectasti, ut faceret judicium et ecce iniquitas! justitiam et ecce clamor!*“ (Jes. 5, 6.) Rectum judicium tuum, nam „*simile factum est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias Filio suo. Et misit servos suos dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt et abierunt alius alio. Reliqui tenuerunt servos ejus*“ — usque a primis prophetis ad Christum — „*et contumeliis affectos tortosque occiderunt.*“ Nonne rectum judicium Dei, si „*irascitur et missis exercitibus suis perdet homicidas*“ et propheticidas „*istos, et civitatem eorum succendet?*“ (Matth. 22, 8.) *Mandasti *) justitiam testimonia tua et veritatem tuam nimis.* Leges omni ex parte justas et omnibus numeris veras de Jerusalem sanxisti et ea testimonia, quae simul justitia simul veritas sint: justitia, quia, quae de casu Hierosolymorum praedicta sunt, optimo jure urbi huic interfectrici prophetarum ingruunt; veritas, quia non cum ingentibus minis tan-

*) (Hebr. Zivitha) [illegible]

tam extremum periculum impendet, sed quia se vera de Jerusalem Deus destinata exsequetur. *Tabescere me fecit**) *zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici tui.* Dolor et indignatio subit animum meum, „*quia tempus visitationis tuae non cognovisti et noluisti te congregare sub alas meas.*" (Matth. 23, 37.) Alienatis omnino a memoria exitii, minaciter instantis, animis quum caeca mente a voluntate et visitatione mea deflectant, tot tantisque miseriis occupabuntur! *O obliviosum* populi mei ingenium! cujus ex animo excidit verbum Danielis nec pensi habet, quod adjunxi: *Qui legit hunc locum, intelligat!*" (Matth. 24, 15.) Obliti sunt legem illam, qua cautum est, ut non ita multo post mortem Messiae „*civitatem et Sanctuarium dissipet populus*" romanus cum Tito „*duce venturo, et ut finis urbis Jerusalem*" sit vastitas et „*post finem belli statuta desolatio.*" Obliti sunt, tibi placitum esse, ut, ubi primum Messiam occidissent, „*sit in Templo abominatio desolationis et ut usque ad consummationem et finem perseveret desolatio.*" (Dan. 9, 26.) *Ignitum***) *eloquium tuum vehementer.* Ex quo die missus est Spiritus sanctus, qui „*vibrante lumine*" fervidissimum *ignem* charitatis super Apostolos effunderet, adparebit continuo, ab eodem „*Spiritu veritatis*" omnia vaticinia tua ceu aurum excoctum et ab omnis fraudis sporia *purgata* esse. Ignitum autem verbum tuum esse nunc imprimis perspicuum erit, quum brevi eventus ipse monstrabit, vere praedictum esse, incendio patriam Judaeorum vastandam esse et in cinere deflagrati regni Israëlitarum posteris planum fore, quanto aestu, quantoque zelo furor sententiae tuae ardeat et quos „*carbones ignis congesturus sis super caput eorum.*" (Rom. 12, 20.) Postquam mensura peccatorum impleta est, mox illud implebitur, quod Zachariae olim monstratum est, qui dicit: „*Egressus est angelus, qui loquebatur in me*

---

*) (Hebr. Zimthathai.) — **) (Hebr. Zeruphah.)

et dixit ad me: Leva oculos tuos et vide! quid est hoc, quod egreditur? Et dixi: Quidnam est? Et ait: Haec est amphora egrediens. Et ecce! talentum plumbi portabatur et ecce! mulier una sedens in medio amphorae. Et dixit: Haec est Impietas. Et projecit eam in medio amphorae et misit massam plumbeam in os ejus. Et levavi oculos meos et vidi et ecce! duae mulieres egredientes et spiritus in alis earum et habebant alas quasi alas milvii et levaverunt amphoram inter terram et coelum." (Zach. 5, 5.) Expromam vobis, nondum sentientibus calamitatem vestram, quo hoc visum valuerit, quam ignitum et purum, quam acriter ardens sit eloquium Patris. Amphora est mensura, peccatis vestris referta, quae adversus Jerusalem proficisci parat. Ingens scelerum moles et imprimis Christicidium talenti plumbi gravissimi instar in vos fertur. Impietas et perfecta abalienatio vestra a Deo ex omnibus reliquis flagitiis proeminebit. Brevi autem Deus gravissimam peccatorum et poenarum molem ut massam ingentem tanquam deglutiendam vobis projiciet. Duae denique mulieres geminam Titi et Trajani potestatem significant, qui ad vindicandam Deicidii vestri atrocitatem advolaturi sunt. ***Et servus tuus dilexit illud.*** Ego autem, qui in fidelibus famulis meis voluntati tuae soli servio, eloquium tuum ignitum, undique probatum, magno opere laudo. Ignis enim iste zizania comburit et aream Ecclesiae meae purgat; nam memoria justitiae tuae, quam morte Filii et interitu urbis Jerusalem nobilitaveris, monebit Meos, ut „*cum metu et tremore operentur salutem suam.*" (Phil. 2, 12.) ***Adolescentulus *) sum ego et contemtus.*** Tenuis adhuc et contemta res mea est; namque ab ipso primordio meo in Ecclesia scandali crimine Judaei me insimulant, gentibus autem stultitia crucis meae opprobrio est. (I. Cor. 1, 23.) ***Justificationes tuas non sum oblitus.*** Neutrum tamen neque invidia neque despectus

---

*) (Hebr. Zair.)

auctum religionis meae minuere potest; *juste* enim regnum meum coelorum adhuc parvo grano sinapis comparo, *quod et ipsum minimum est ex omnibus seminibus, sed cum creverit, majus est omnibus oleribus.*" (Matth. 13, 36.) Rite a te statutum est, ut, quamvis a minimo incipio, tamen *veniant dies, ubi aedificentur maceriae (novae) Jerusalem et veniant ad eam de Assur et a civitatibus munitis usque ad flumen et ad mare de mari et ad montem de monte.*" (Mich. 7, 12.) Justificationes tuas non sum oblitus, unde spes mihi affulget, invidiam istam et contemtum in honorem et verecundiam evasura esse; illa enim prophetia tua exitum habebit: „*Veniant ad me curvi filii eorum, qui*" in principio „*humiliaverunt me et adorabunt vestigia pedum meorum omnes, qui*" initio „*detrahebant mihi, et vocent Ecclesiam meam Civitatem Domini, Sion sancti Israël.*" (Jes. 30, 14.) *Justitia* *) *tua justitia in aeternum.* Ut motus justitia „*proprio Filio non pepercisti,*" (Rom. 8, 32.) nec poenas, quae omni generi humano debebantur, ei remisisti: sic in omnes aetates haec lex tua justissima observabitur, ut, qui exemplum meum sequi volent, eos de contumelia in honorem, de doloribus in requiem venire deceat. *Et lex tua veritas.* Firmiter etiam ea lex a te stabilita est, ut in ruinis afflictae et eversae urbis Jerusalem veteris nova rei meae fortuna collocetur. Hoc a te *firmiter* sancitum est, ut, quum excisio eversio depopulatio vastitas genti huic perfidiosae illata fuerit, ex nova Jerusalem et fideli civitate desponsam et destinatam laudem mihi acquiram. Divino Patris mei munere *vere* accidet, ut, abominatione desolationis facta, „*consummetur praevaricatio et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas et adducatur justitia sempiterna.*" (Dan. 9, 24.) Lex tua *vere* ac firmiter id spectat, ut Ecclesia mea fiat „*solium, quod praeparatur in misericordia et sedeam super illud*

---

*) (Hebr. Zidkadecha.)

in veritate in tabernaculo David, judicans et quaerens judicium, velociter reddens, quod justum est." (Jes. 16, 5.) ***Tribulatio*** *) ***et angustia invenerunt me.*** *Tribulatio* me exercet hinc, quia doctrina Crucifixi non iniquissimis solum animis apud Judaeos auditur, sed ingentem etiam iram eorum excitat, ut nomen meum vel supprimere in occulto, vel exstinguere in aperto nitantur. Sed et *angustia* illinc me invenit, quia tantum abest, ut Gentes me in Apostolis satis digne aestiment, ut etiam verbum meum in insania et vecordia eis positum esse videatur. Hoc modo igitur utrimque causa mea in res dubias atque angustas adducitur. Tribulatio invenit me ab hac parte, nam „*mittit Serpens ex ore suo post Mulierem*" — Ecclesiam — „*aquam*," et persecutionum procellas — „*tanquam flumen, ut eam faciat trahi a flumine.*" (Apoc. 12, 15.) Angustia a parte illa me invenit, namque „*iratus est Draco in Mulierem et abit facere proelium cum reliquis de semine ejus, qui habent testimonium Jesu Christi.*" (ib. v. 17.) ***Mandata tua meditatio mea est.*** Nec tamen spes mea concidit, quoniam tua consilia inimicissimos eorum conatus dirimunt, nam finem suum illud dictum invenire debet: „*Sicut enumerari non possunt stellae coeli et metiri arena maris, sic multiplicabo semen David servi mei,*" sic augebo Fideles meos. (Jerem. 33, 22.) Et: „*Pro eo, quod fuisti derelicta, Jerusalem! et odio habita et non erat, qui per te transiret, ponam te in superbiam saeculorum, gaudium in generationem et generationem; et suges lac gentium et mamilla regum lactaberis et scies, quia ego Dominus salvans te et redemtor tuus fortis Jacob*" satis validus ad frangendas opes adversariorum. (Jes. 60, 15.) Tuum etiam mandatum est, ut „*ego aedificem domum nomini tuo et stabiliam thronum regni mei usque in sempiternum.*" (ib. 7, 13.) ***Aequitas*** **) ***testimonia tua in aeternum.***

---

*) (Hebr. zar.) — **) Hebr. zédek.)

Dummodo, quam justum et laetum exitum jussa tua habitura sint, Mei intelligant, ad omnia interritus, omnes eorum impetus sustinebo. Licet enim jam nunc *injuste* fideles meos ad internecionem persequuntur, nulla tamen formido eis incutitur, ne cursus Jesu victoris impediatur; ita enim *juste* ac bona lege cautum est, ut „*permaneam cum sole et ante lunam*," — donec obscurabitur et luna non dabit lumen suum, (Matth. 24, 29.) — „*in generatione et generationem.*" (Ps. 71, 5.) *Intellectum da mihi et vivam.* Suppliciter ex cordibus Fidelium te precor, ut, quum jam omnia et in coelo et in terra Hierosolymis inimica atque infesta esse et tam asperis difficultatibus affectum atque afflictum iri video, ut populus meus aut in servitutem romanam abripiatur, aut perpauci caedibus hostilibus supersint, ut *intelligam*, quomodo electas mihi reliquias Israël ex hac ruina servem et ego in conservatis *vivam* et incremento „*verbi vitae*" in Ecclesia floream.

Koph. *Clamavi* *) *in toto corde meo, exaudi me Domine.* Totis viribus quum me oppugnent, toto cordis affectu necesse habeo tibi supplicare, ut Sponsam meam quasi quandam admodum puellam, sed quam plurimis periculis tentatam, omnibus injuriis lacessitam, saevis iris jactatam, summo odio agitatam, diligentissime defendas. Exaudi me Domine et concede, ut jam nunc appareat, te Ecclesiae meae adultae suo tempore gloriosum finem impositurum esse. Vide furorem hostium, quorum princeps est Saulus Benjamita. In toto corde meo oro, ut, posita ferocitate phanatica ne novo Sanctuario meo vastitatem inferat. ***Justificationes tuas requiram***, quia tua ipsius sententia decretum est, ut „*Benjamin lupus rapax sit, qui mane comedat praedam et vespere dividat spolia.*" (Gen. 49, 27.) Hanc justificationem tuam requirens oro, ut Saulus Benjamita, qui prima luce Diei mei lupina quadam rabie

*) (Hebr. Karathi.)

nomen meum abolendum deposcit et Ecclesiae matri vere est Ben-on *„filius doloris,"* quem cum doloribus pro gratia parturit, — ut hic Saulus mane quidem h. e. ante conversionem sit lupus Diaboli, qui rapiat oves meas et greges meos dispergat (Act. 8.) vespere vero h. e. post conversionem sit lupus Dei, qui eripiat Diabolo, quam attulerit ei, praedam et deferat ad me et manubias *„boni tui certaminis, quod certaverit"* (II. Tim. 4, 7) in omnes partes dividat. *Clamavi ad te,*) salvum me fac, ut custodiam mandata tua.* Prohibe, precor, ne hostes ejusmodi prorsus nomen meum deleant: quomodo enim aliter illud decretum tuum exsequar, quo mandasti, ut *„exeant aquae vivae — (hoc autem dico de Spiritu, quem acceperunt Credentes in me")* (Joh. 7, 39.) *„de Jerusalem, medium earum ad mare orientale et medium earum ad mare novissimum"*? (Zach. 14, 8.) *Praeveni**) in maturitate.* Prope est, ut nox veteris Testamenti, raris prophetarum suorum luminibus distincta, Sole novi Testamenti orto, dissipetur. Hoc igitur crepusculo a *primo mane* oriturae *„Lucis mundi"* (Joh. 9, 5.) precibus assiduis hostes *anteverto* et quaeso illud perficias, ne cum luce prophetarum occidente simul clara Filii tui, *„Lucis mundi"* et Solis Justitiae cognitio occidat. *Et clamavi.* Decreta Synedrii et magistratuum Templi omnibus nobis maestitiam, Ecclesiae curam metumque injiciunt; namque humilitas ipsa concordiam hostium majorem etiam ardoremque ad tentandam pertinacius constantiam Apostolorum facit, ita ut Petro meo catenae injiciantur: ego vero clamo et fidem tuam imploro, *„Petrus quidem servatur in carcere, oratio autem fit sine intermissione ab Ecclesia ad Te pro eo."* (Act. 12, 5.) *Quia in verba tua supersperavi.* Neque principe, etiam Apostolorum in vincula conjecto desperandum esse credo, quia ad me pertinet illud: *„Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion, dominare in medio ini-*

---

*) (Hebr. kerathicha.) — **) Hebr. kidamthi.)

micorum tuorum." (Ps. 109, 2.) *Praevenerunt**) *oculi mei ad te diluculo.* Jam inde per omne tempus nocturnum veteris Testamenti oculi mei vigiliis, quas Prophetae meo nomine agebant, anteverterunt. Prophetae enim mei quodammodo excubabant, si quid spei Messiae sui affulgere et *praevia* quadam cura ad vigilantiam et exspectationem meam excitabant. Ego autem *ante* Prophetas, quorum vaticinia quasi quidam fulgor coeli noctu internitebat, fui et ego idem, quod luminis eis infundebatur, praeveni *prae*figurando, *prae*dicendo, *prae*monendo de Adventu, de Passione, de Ascensione. Johannes, qui extremas has excubias veteris Testamenti nuper habebat, meo jussu, ex somno Legis excussum homines, venit, quem et ipsum ego praeveni tam aetate quam dignitate. Nocturnis igitur vigiliis peractis diurnae vigiliae ejus „*Diei, qui appropinquavit,*" venerunt. *Ut meditarer eloquia tua.* Ubi Dies meus illuxit, sedulo memoriae mando, eam juventutem meam, eum florem auctus Religionis meae esse *decere*, ut aeque sanctitate originis ac numero Credentium in dies crescente hostibus praestem. Meditor illud eloquium tuum: „*Populus tuus promtus in die virtutis tuae, in splendoribus sanctitatis; ex utero aurorae tibi ros juventutis tuae.*" (Ps. 109. juxt. text. hebr.) Hoc dictum tuum me erigit; neque enim in dubium mihi venire potest, quin populus meus, grex meus, vere sua voluntate promptoque ac lubenti animo in die virtutis, tempore militiae meae se sistat mihi proficiscenti in bellum, quod cum inimicis nominis mei suscepturus sum. Nec tamen ultro modo Fideles me sequentur, sed splendore sanctitatis etiam conspicui et gloria constantiae illustres mecum decertabunt — et quidem in die virtutis: qui dies ortus est, ex quo tempore arma lucis meae cum armis tenebrarum contendunt, et verbum veritatis meae commenta mendaciorum oppugnatum exit.

---

*) (Hebr. kidmu.)

Iste porro populus meus ipsius sanctitatis gloria, quam Ecclesiae inde a primordio militanti infudi, fere ita coruscat et splendet, quemadmodum sub ortum solis tempore matutino nitor fulgidus ex gemmis guttulisque roris effulget. Deinde ut rores, licet tenuibus in herbis et humillime haerent, tamen mirabili ac vario splendore promicant: sic populus meus humilis et mansuetus fulgidissimo gratiae et virtutum splendore illustratur. Ad hoc quemadmodum rores matutini omnem numerum excedunt: sic populum meum non modo ob pulchritudinem meam, in iis resplendentem, sed ob multitudinem quoque Crediturorum rori acquiparari potest; nunc enim prima aurora lucis meae Discipuli omni decore splendent, neque ita multo post innumerae animae gloriosa nominis mei confessione ex mea claritate clarescent. *„Ero dominator hominum, justus dominator in timore Dei. Sicut lux aurorae, oriente sole, mane absque nubibus rutilat et sicut pluviis germinat herba de terra:“* sic coepi ego et regnum meum lucis ac veritatis oriri. (II. Sam. 23, 3.) ***Vocem meam*** *) ***audi secundum misericordiam tuam.*** Ductu meo Ecclesia militat contra diabolicos incursus: quare Christo tuo, uni omnium fortissimo *„Giganti“* (cf. Ps. 18, 6.) et patientissimo mortis extinctori, illud misericorditer concede, ut Ego et Mei tandem a diuturnis afflictionibus conquiescamus. In te autem confido, quia tu ad hanc militiam meam me adhortatus es dicens: *„Accingere gladio“* — penetrabili perstringente usque ad divisionem animae et spiritus, campagum quoque ac medullarum, (Hebr. 2, 12.) — *„accingere super femur tuum, Potentissime! Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede et regna. Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam deducet te mirabiliter dextera tua.“* (Ps. mess. 44, 4.) ***Et secundum judicium tuum vivifica me.*** Illud perfice, ut fides mea *reviviscat* et, vigore virtutum in

---

*) (Hebr. koll.)

dies crescente, Ego in fidelibus vivam secundum justissimam sententiam tuam, qua me meamque Ecclesiam ad certamen accendisti dicens: „*Sagittae tuae*" — verbi tui — „*acutae, populi sub te cadent, in corda inimicorum Regis.*" (ib. v. 5.) Vivifica me, ut magis magisque verbum vitae disseminetur. Multa quidem jam incipit esse dies; sed sole incalescente et in nomen meum fervescentibus odiis sic tu me refrigera, ut plus etiam ardoris in quam *plurimorum* animis ad ministerium verbi accendatur — secundum judicium, quod pronuntiasti dicens: *ecce ego mittam piscatores multos et piscabuntur eos et post haec mittam eis multos venatores et venabuntur eos de omni monte et de omni colle et de cavernis petrarum.*" (Jerem. 16, 16.) *Appropinquaverunt**) *persequentes me iniquitati.* Qui successui rei meae hostiliter obficiunt et qui vel ad universum interitum generis christiani conspirant, ii has poenas dabunt, ut in dies *propius* Impietati et noxae ejus mancipentur; hac maledictione afficientur, ut scelus et flagitium sibi familiare faciant et peccata usque eo sectari placeat, ut animus tandem, a circumfusa caligine obrutus omnino recuset, quin ad fidem meam ac fidei salutem se formet. Postremo, quum proxime ab iniquitate aberunt, nil sibi nefas esse arbitrantur. Implebitur dictum meum: „*Qui facit peccatum*" et multum ac familiariter peccato utitur — „*servus est peccati.*" (Joh. 8, 34.) *A lege autem tua longe facti sunt.* A tua autem voluntate, qua sanctitatem disciplinae meae sequi jubentur, tam longe aberrant, ut, obstinatos sese ad fidem meam accipiendam praebentes, longius in dies a fructibus Redemtionis meae disjungantur. *Prope* **) *es tu Domine.* Illos igitur proxima est Iniquitas et auctor peccati; nobis autem tu Domine propinquus es. Ergo quo largiorem invidiae materiam nomen meum ante omnes Pharisaeis et Scribis subministrat et quo vigi-

---

*) (Hebr. karebú. — **) (Hebr. karób.)

lantius, tetra eorum et venenata ira lumen ortus mei foedare student; hoc tua mihi praesentia proprior est. „*Praecipiendo quidem praecipit Apostolis princeps sacerdotum, ne doceant in nomine meo*“ (Act. 5. 28.), sed, quum te eis prope esse sentiant, intrepidi respondent: Sic statuimus, „*expedire Deo magis, quam hominibus parere,*“ (ib.) — Deus nobis proxima ac prima cura est. *Et omnes viae tuae veritas.* Tua jussa veritas sunt. Minitentur igitur ministri mendacii, accusent falsis criminibus, persequantur me injuste: omnes isti, qui portenduntur metus, veritate tua dispergentur. Namque ista serpens Mendacii et Impietatis, quae, nunc in Pharisaeismo delitescens, jam se emergit etiam et in apertam mei persecutionem fertur, *veris* mandatis tuis in Evangelio meo quasi compressa atque illisa morietur. Ingens quidem odium atque id insitum penitus et inustum Synedrio est: me vero Meosque veritas tua defendit. Tu vere promisisti, „*te adducturum esse*“ — propter veritatem — „*Israëlitas cum jucunditate in lumine Majestatis tuae.*“ (Bar. 5, 9.) Fremant modo: Apostoli mei et qui vere Israëlitae sunt (cf. Rom. 9, 6.), gaudent etiam, „*si digni habentur, pro nomine meo*“ et pro veritate mea contumeliam pati. (Act. 5, 41.) Portendant Discipulis meis *periculum et caedem: in lumine veritatis meae nullis sacerdotum minis ad nullum metum ducuntur; quia viae tuae verae, firmae et fidae sunt, ubi nulli timori locus datur, quia Spiritus veritatis tuae quoquoversus viam sibi pandit et spirat, ubi vult.* *Initio* *) *cognovi de testimoniis tuis.* „*In Principio eram Verbum*“ et Cognitio Dei „*et Verbum erat apud Deum,*“ (Joh. 1, 1.) et ideo inde a diebus aeternitatis nihil me fugit consiliorum tuorum, quae notum habeo nullo modo inhiberi, nullo conatu frangi posse. Hoc ex illo *testimonio* mihi colligo, quod de me pronuntiavisti dicens. „*Ipse exstruet*

---

*) (Hebr. kédem.)

Templum Domino et Ipse portabit gloriam et dominabitur super solio suo et erit sacerdos super solio suo et consilium pacis erit inter illos duos — dominatorem et sacerdotem. — (Zach. 6, 13.) Itaque qui auctui Ecclesiae et constructioni novi Templi spiritualis obnituntur, certo (ita inde ab initiis cognovi!) eorum consilia cadent; qui regnum meum („*dominatorem*“) evertere conantur, hi regem regum me esse comperiunto; sacerdotes autem et pontifices jam unum „*sacerdotem*,“ unum pontificem fore sciunto et illud pro certo habento, in meo regno et sacerdotio veram pacem et tranquillitatem animi comparari posse. *Quia in aeternum fundasti ea.* Hoc regnum tuum et Sacerdotium in aeternum constituisti in Ecclesia mea, tam firmiter fundata, ut „*ne Inferi quidem portae praevaleant adversus eam.*“ (Matth. 16, 5.)

Resch. *Vide* *) *humilitatem meam et eripe me.* Noli, piissime Pater! meam Ecclesiaeque tentationes negligere. Versare, quaeso, diligenter in salute et auxilio meo. Vide iram Judaeorum, quae, quum nuper eos ad crucifigendum me Ipsum rapuerit, nunc non aliter quam excidio Ecclesiae meae expleri potest. Vide humilitatem meam et tu Ecclesiam meam, communi invidia flagrantem, umbra auxilii tui tege et eripe me. *Quia legem tuam non sum oblitus.* Quid tandem causa est, cur incepta Judaeorum extimescam, quandoquidem tu lege tua me sperare jubeas, Ecclesiae meae tuam misericordiam, tuum auxilium patere? Colligo me ac spero, Synagoga deletrice Legis et extinctrice omnium prophetiarum Ecclesiam meam facile superiorem discessuram esse. Reputo enim illam legem, qua stabilivisti, ut „*magna sit gloria domus istius novissimae plus quam primae.*“ (Agg. 2, 10.) Ubi Palaestina doctores meos rejecit, illam legem tuam non sum oblitus, ut „*sint quinque civitates in terra Aegyp-*

*) (Hebr. resch.)

ti" — Tunis, Memphis, Bubastos, Heliopolis et Alexandria virtutibus christianis excellant — „*loquentes lingua Chanaan et jurantes per Dominum exercituum: Civitas Solis una vocetur.*" Legem tuam non sum oblitus, ut „*futurum sit altare Domini in medio terrae Aegypi et titulus Domini juxta terminos ejus.*" (Jes. 16, 18.) ***Judica*** *) ***judicium meum.*** Ad vincendum adversarios meos satis est, modo tu causam meam agas „*de gente non sancta,*" et ut crimina eorum tuis testimoniis refellantur, patronus meus existas. ***Et redime me,*** ita ut Judaei, fratres mei, tandem Redemtionis meae partem habeant; ut, causa mea ex tua Lege cognita, convicti, dedititii mei existant et fidissimo etiam foedere mecum jungantur. ***Propter eloquium tuum vivifica me.*** Consolare et hoc solatio me recrea, ut ea pars Judaeorum, apud quos Ego leniter et clementer agendo hactenus parum profeci, tuam justitiam *vivificam* experiantur. Jube me sperare, vindictam tuam non defuturam esse — propter eloquium tuum, quum dixisti: „*Oculi mei super omnes vias Judaeorum, non sunt absconditae a facie mea et non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis.*" (Jerem. 16, 17.) ***Longe*** **) ***a peccatoribus salus.*** Procul absunto a Redemtione mea, qui adeo non a morte ad vitam, ab exitio ad salutem revocari possunt, ut nunc quoque multa sceleste et impie adversus nomen meum committant et in me, cui nomen „*Salvatori*" inditum est, continenter peccent. Suam ipsorum salutem mecum repudiant, namque „*non est in alio aliquo salus, nec aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri.*" (Act. 4, 12.) ***Quia justificationes tuas non exquisierunt.*** Ideo in perfidiae poenam Judaei vocabuntur, quia non modo nil de fide mea laborant, sed etiam tua eloquia, de regno meo dilucide pronuntiata,

---

* (Hebr. ribah.) — **) Hebr. raohók.)

pertinaciter contemnunt et acerrime contra pugnant. Punientur autem ita, ut longe „*a peccatoribus sit salus*,“ ut mentes eorum angustae, parvae, humiles, oppletae tenebris ac sordibus: amplitudinem nominis mei, Majestatem Filii Dei, gloriam Sedentis ad dexteram Patris, claritatem fidei et generositatem Confessorum minime satis aestimare sciant. Longe ab iis salus remota sit! et quia voluntatem tuam vilipendunt, ex qua „*Judaeis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam*“ justificationes tuas non exquisierunt, et „*repellunt verbum meum et indignos se judicant aeternae vitae: ecce Apostoli mei convertuntor ad gentes.*“ (Act. 13, 46.) *Misericordiae tuae *) multae Domine.* Longe quidem a salute remoti sunt et in multa saecula a Redemtione mea excludentur nec tamen in sempiternum; nam misericordiae tuae multae sunt, et undique *ex dispersis* excitas, qui rei meae nomina profiteantur. Tu ipse dixisti: „*Qui procul sunt, venient et aedificabunt in Templo Domini et scietis, quia Dominus exercituum misit me ad vos, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.*“ (Zach. 6, 15.) *Secundum judicium tuum vivifica me.* Quod quum ipse promiseris, supplex te obsecro ut Judaeis dispersis me vivificet veramque vitam eis restituas praedicando „*Vitam*“ et Veritatem — secundum illud eloquium tuum: „*Effundam super vos*“ Israëlitas „*aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris et ab universis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri et auferam cor lapideum de carne vestra et dabo vobis cor carneum.*“ (Ezech. 36, 25.) Vivifica me et auge Ecclesiam meam hoc ipso, quod Judaei accessio fiant ad gregem eorum omnium, qui olim resurrecturi sunt, „*vivorum*“ — secundum idem judicium tuum, quo ita dicere perrexisti: *Spiritum meum ponam in medio vestri et faciam, ut in praeceptis meis*

*) (Hebr. rachamécha.)

ambuletis et judicia mea custodiatis et operemini." (ib. v. 27.) ***Multi,*** *) ***qui persequuntur me et tribulant me.*** Nondum animum recordatione conversionis Israël allevo, quum novis curis exerceor; principes enim sacerdotum, Pharisaei omnes et Sadducaei, Esseni etiam atque Herodiani et si quos alios quam plurimos sanctitatis nominis mei taedet, omnino rem meam acceptam non habent, sed omni ope eam exterminare nituntur. ***A testimoniis tuis non declinavi.*** Hi quidem a causa mea recesserunt, ego vero in veritate verbi tui confido, quod de me locutus es dicens: „*Judicabit pauperes populi et salvos faciet filios pauperum et humiliabit calumniatorem.*" (Ps. 71, 4.) Quia veritas et fides mecum faciunt, populi Judaeorum et imprimis Synedrii minas negligo. Veniet sane tempus, ubi etiam ab hac parte hominum, quae mendacio et obtrectationi se devoverunt et omni modo veritatem meam infirmare student, aeterna quies erit — quia a testimoniis tuis non deflecto. ***Vidi*** **) ***praevaricantes et tabescebam.*** Ipse testis sum, populum istum nil loci veritati meae relinquere; quapropter ita eum fastidio, ut huic generationi nunquam gratiae reditus pateat et ego „*incipiam eum evomere ex ore meo*" — utpote tanto flagitio foedatum, tanto scelere contaminatum. (Apoc. 3, 16.) ***Quia eloquia tua non custodierunt.*** Tu de tempore meo haec olim ad populum istum locutus es: „*Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in justitia et judicio et in misericordia et in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide et scies, quia ego Dominus.*" (Os. 2, 19.) Sed populus iste, amorem tuum aspernatus, coelesti Sponso crudelissima morte mactato, nunc in eam etiam vesaniam rapitur, ut Ecclesiam meam lacerare non desistat. Unde fit, ut ad gentes me convertam, et eloquia tua

---

*) (Hebr. rabbim.) — **) (Hebr. raithi.)

custodiam, quibus ita dixisti: „*Miserebor Ejus, quae fuit absque Misericordia et dicam non Populo meo: Populus meus es tu et ipse dicat: Deus meus es tu.*“ (Os. 2, 23.) ***Vide,*** *) ***quoniam mandata tua dilexi Domine.*** Diligo et amplector mandata tua, quibus veterem quidem Sponsam rejicis, sed novam adsumis. O! „*nova Jerusalem*“ sponsa mea, *descendens de coelo, ornata sicut sponsa viro suo.*“ (Apoc. 21.) Quae pulchritudo ejus virginum! quae constantia Martyrum! quae multitudo crediturorum! Quam caros hos jussus tuos habeo, quibus de nova domo Israël ordinasti, ut ei „*sis quasi ros, ut Israël germinet sicut lilium et erumpat radix ex eo ut Libani, ut eant rami ejus et quasi oliva gloria ejus sit, et odor ejus ut Libani, ut convertantur sedentes in umbra ejus.*“ (Os. 14, 6.) ***In misericordia tua vivifica me.*** Ductus misericordia id perfice, ut in populo tuo ego reviviscam ita quidem, ut, Gentibus ad vitam adductis, tandem Israël quoque ad meliorem mentem voluntatemque revocetur et fidem meam *vivificam* suscipiat. Hac in misericordia ipse dixisti: „*Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab iis.*“ (Os. 14, 5.) ***Principium*** **) ***verborum tuorum veritas.*** Haec omnia verba tua quoniam veritas mera sunt, ideo tantam spem de augmento Religionis meae etiam inter Judaeos concipio; neque enim unquam a veritate desciscis. Tum enim „*in me qui benedictus fuerit super terram, benedicetur in Deo Amen*“ — Veritatis — „*et qui juraverit in terra, jurabit in Deo Amen.*“ (Jes. 65, 16.) ***In aeternum omnia judicia justitiae tuae,*** quibus hoc etiam justum et aequum esse tibi visum est, ut Israël non in aeternum reproba maneat, sed tu aliquando ad eam dicas: „*Exue te Jerusalem stola luctus et vexationis tuae et indue te decore et honore ejus, quae a Deo tibi est,*

---

*) (Hebr. reéh.) — **) (Hebr. rosch.)

sempiternae gloriae. Circumdabit te Deus diploide justitiae et imponet mitram capiti honoris aeterni. Nominabitur enim tibi nomen tuum a Deo in sempiternum: Pax justitiae et honor pietatis.“ (Bar. 5, 1 — 5.)

Sin. *Principes**) *persecuti sunt me. Principes* sacerdotum, nomen meum exsecrati, Apostolos meos non modo flagellis affecerunt, sed supplicia eis intentarunt. His tamen duriora etiam a principibus sequentur. Principum enim romanorum animi ad affligendam Religionem christianam accendentur et flumine sanguinis cursum causae meae intercludendum putabunt. Ex illa nocte et tempestate ubi vix furor Neronum, Deciorum, Diocletianorum aliorumque Principum excanduerit: impietas Ariana indomitis atque effrenatis furoribus plures alios Imperatores invadet, ut praecipites et volaticos suos impetus in rem meam catholicam convertant. Paulo post nova fax faeda et luctuosa Ecclesiae meae injicietur; nam principes Mahomedanorum, infida pertinacia sua perstantes, inexpiabile bellum adversus Crucem meam suscipient et ut furiae exitiosae ac paene pestes regni coelestis grassabuntur. Non satis est, etenim principes Germaniae, Britaniae, Sueciae, Borussiae partes Haereseos defendent et nefanda etiam in me facinora edent. Quid dicam de aliis aliarum regionum principibus? quid de principibus Persarum, Vandalorum, qui cum cruentissimorum bellorum terrore Ecclesiam meam devastabunt? qui tam licenter in nomen christianum vim dominationis suae exercebunt, ut nullas artes ad perniciem Meorum non excogitent? quid denique de Caesaribus Septentrionis, quorum vexationes Religionis meae sicut lugubre ita insigne documentum erunt, ne quis simulato puritatis Fidei studio, quod Schismatici et Haeretici prae se ferre solent, confidat. Quodsi omnes Principes terrae sincera fide in gratiam mecum redeant, tamen principes tartarei diligenter regnum coelorum

*) (Hebr. sarim.)

impetent et frequentes excitabunt Haeresiarchas, qui principes Sectarum existant et in Ecclesiam furant. *Gratis.* Nulla vero digna causa est, cur noxas principum merear et adversum me habeam. Temere plerorumque principum inimicitias suscipio et sine causa Religionem meam suspectam habent scilicet officium et fidem Subditorum subvertentem! quasi vero non in obsequio potissimum, quod Ego erga Patrem habui et fide ipsa, quam Apostoli mei praedicant, fundamenta Ecclesiae totius posita sint! *Et a verbis tuis formidavit cor meum.* Omni liber metu nec territus animi hos principes mecum de principatu mundi decertaturos habeo. Illud tantum vereor, ne tuae desim voluntati, in qua tibi cautum est, ut Mei adeo infractos gerant animos, ut nullum periculum, nullos cruciatus meam fortitudinem, meam patientiam e conspectu eis auferat. Illud solum timeo, ut, non a me omnia perpesso exemplum petentes, ingenua animi libertate profiteantur, a verbis tuis formidare cor suum et praesulibus mundi fortiter respondeant: „*Oportet magis Deo, quam hominibus parere.*" (Act. 5, 29.) *Laetabor* *) *ego super eloquia tua.* Etiam post Passionem et Ascensionem meam una cum Fidelibus meis „*Baptismo habeo baptizari: et quomodo coarctor?*" (Luc. 12, 50.) Sumant igitur uncti optimates et principes hujus saeculi aequabiliter spiritus continuos ad rem meam aut delendam aut pervertendam: ego contra unctione gratiae tuae delibutus et justitia mea armatus invictum me eis praestabo. Nil praevalebunt adversus me; atque adeo! Ecclesia mea est illa Jerusalem, quam „*ecce! ego ponam superliminare crapulae*" (Zach. 12, 2.): quam qui tentaverint, hac dementia sua corruent. Proinde *laetor* super eloquia tua, quae per strages et ruinas, a principibus istis editas, interritis praedicatoribus rei meae progressum patere affirmant; tu enim dixisti:

*) (Hebr. sas.)

„*Vocabuntur in ea* — in nova Jerusalem — „*Fortes Justitiae, plantatio Domini ad glorificandum*“ te martyrio suo. — „*Et aedificabunt deserta a saeculo et ruinas antiquas erigent et instaurabunt civitates desertas, dissipatas in generationem et generationem.*“ (Jes. 61, 3 et 4.) Haec igitur cura dulcissima animo meo semper infixa erit, ut, quae immanitate principum aut obscurata aut eversa erunt, ea omnia mansuetudine christiana renovata illustriora renascantur. *Sicut qui invenit spolia multa.* Etiam amissis Judaeorum et aliarum gentium principibus tamen est, quod mihi de consiliis tuis gaudeam; quippe qui pro iis alios Confessores innumeros mihi lucrifaciam, qui, omni decore insignes, omnibus virtutibus ornati, tantum ab humili Judaeorum perfidia et vili principum fastidio recedent, ut admirabilis eorum et uberrima fidei copia abundet, ut constantissima eorum patientia in sempiternum florescat atque exuberet. Quae praeda! quae spolia! universum orbem terrarum! innumeras animas immortales! Sanctos omnes tanquam insignes manubias devicto „*principi mundi*“ eripiam. *Iniquitatem* *) *odio habui et abominatus sum.* Principum mendacia aeque detestor ac judaicae perfidiae me pertaesum est. Quod gentilium ergo Veritatem abominatum et obstinatis animis nomen meum abolere ausum fuerit, hos et ipse abominabor et has poenas ab iis expetam, ut veritatem meam nunquam inveniant et ut, „*columna et firmamento veritatis*“ non suffulti, in aeternum a salute mea depellantur. *Legem autem tuam dilexi.* Tuae voluntatis recordatio mihi in deliciis est, quia lege sanxisti, ne juxta boni malique Judaeorum et Principum promiscue condemnati a te discedant, sed ut nova Israël toto et sincero animo veritati catholicae faveat. Imprimis autem hanc legem tuam diligo: „*Reliquiae Israël non facient iniquitatem nec loquentur m e n d a c i u m et non invenietur*

*) (Hebr. schéker = „*mendacium*“.)

in ore eorum lingua dolosa, quoniam ipsi pascentur et accubabunt et non erit, qui exterreat." (Soph. 3, 13.) Finem tam laetum diligo. *Septies**) *in die laudem dixi tibi.* Quamdiu Dies novi Testamenti durabit, nil Me Meosque in celebranda laude tua remissos faciet. Nominatim vero singulis diebus ex ore ministrorum meorum septenas laudes tibi dicet: in precibus Matutinis, alteras in Laudibus proprie sic dictis, tertias in Prima, quartas in Tertia, quintas in Sexta, sextas in Nona, septimas denique laudes singulis Vesperis tibi dicam, ut una atque continua Meorum supplicatione perpetuis tuis beneficiis digne respondeatur. *Super judicia justitiae tuae.* Nullus dies intermittetur, quin tuae pietatis memoria colatur; certis enim temporibus certa Officia et certae res divinae, certae Supplicationes Sermonesque ita te laudabunt, ut alii dies alia celebrandi te materia occurrant. *Pax* **) *multa diligentibus legem tuam.* Qui tuam Legem, quae in Ecclesia exponitur, redamant, hos „*universos filios tuos, panes doctos a Domino et multitudinem pacis*" dabis his „*filiis tuis.*" (Jes. 54, 13. cf. Joh. 6, 45.) „*Pax vobis*" inquiet Ecclesia mea et: „*Dominus vobiscum*" omnibus, qui sollicita animae salutis cura rei divinae interestis. „*Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda*" diligentium legem tuam. (Phil. 4, 7.) *Et non est illis scandalum.* Quodsi continuam pietatis exercitationem obtinuerint, minime erit, quod eis offendiculo sit et quod de tristi vitae suae exitu querantur, nam „*pax mea exultabit in cordibus eorum*" (Coloss. 3, 15.), et ut pie mecum vixerint, sic morte etiam pacatissima decedent. *Exspectabam* ***) *salutare tuum Domine.* Per omnem seriem saeculorum, quum in Ecclesia fructus mortis meae crescent, spe tantum et exspectatione eam salutem prae-

---

*) (Hebr. schéba.) — **) (Hebr. schalom.) — ***) (Hebr. sibbarthi.)

cipio, quam in cruce hominibus recuperavi et jam laetitias in dies extendere volo. Nunc igitur, quoadusque ex Ecclesia militanti facta fuerit Ecclesia triumphans, solummodo id summe exopto, ut *salutaris* Religio mea, primum in urbe Jerusalem nata, mox per Judaeam fusa, jam jamque in universum mundum manet. In hanc ergo Ecclesiam *beatificam* qui intraverint, in iis *salutem* Baptismi et *salutare* fidei meae exspecto ac precibus efflagito. Quia enim per salutare lavacrum Baptismi in beatam spem regni coelorum geniti sunt, hoc ipso animos ad spem aeternae salutis erigent erectosque servabunt. Exspecto et spes laetissima mihi affulget, *salutem*, quae ex Baptismo et Confessione sanctissimae Trinitatis profectura est, in dies longius auctum iri. Hoc si bene ac *salubriter* eveniet, perfecte voluntatem tuam *et mandata tua dilexi*. Tum felicissimo, quem Ecclesiae praecavisti, fine ante oculos posito, vehementer gaudebo et diligam, Pater! primum illud mandatum tuum, quo ordinasti, ut Ecclesia mea evadat catholica hoc est terminorum nescia, et ut *salutare regenerationis* (Tit. 3, 5) ubique gentium pervulgetur. Namque „*in diebus meis*“ inquis, „*praeparatus sit mons domus Domini in vertice montium et elevetur super colles et fluant ad eum omnes gentes, et eant populi multi et dicant: Venite et ascendamus ad montem Domini et domum Dei Jacob et docebit nos vias suas et ambulabimus in viis ejus,*“ ut *salutem* nostram inveniamus. (Jes. 2, 2.) Mandata tua diligo, quae postulant, ut „*paret Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium et videant omnes fines terrae salutare Dei nostri.*“ (Jes. 52, 10.) Mirabiliter mandata tua amo, quibus me laetificas dicens: „*Lauda filia Sion! jubila Israël! laetare et exulta in omni corde filia Jerusalem!*“ (Soph. 3, 14.) „*Lauda filia Sion!*“ et laeta semper ova laude Dei Patris ac perennes laudes gratesque age. Filia Sion, inquam, quia Sionis in sinum Pater *salutaris* sui amoris indicia abscondit, unde tu

Ipsa nascerere. Iterum *„jubila,"* ais, *„Israël!"* et vos, quicumque vere Israëlitae estis et *„bonum certamen salutaris vestri certatis,"* exultabundi laudes vestras dicite Filio. Adde huc laudem, quam Pater etiam in honorem Spiritus amantissime imperavit dicens: *laetare et exulta in omni corde filia Jerusalem!"* quia salutare Redemtionis semper augescit et numerus Credentium in dies ampliatur. *Custodivit* *) *anima mea testimonia tua.* Toto animi affectu etiam Filius hominis tuis, Fili Dei! praeceptis se addixit et humana voluntas mea nihil a divina discrepat. *„Ego enim cum Meis ero usque ad consummationem saeculi"* (Matth. 28, 20.) ea quidem mente, ut principi hujus mundi dominatio e manibus eripiatur et ut, quemadmodum a te jussus sum, tandem his verbis tuis Ecclesiam consolari possim: *„Abstulit Dominus judicium tuum, avertet inimicos tuos, rex Israël Dominus in medio tui, non timebis malum ultra. Noli timere Jerusalem! Sion! non dissolvantur manus tuae."* (Soph. 3, 15.) Haec mandata tua diligo. *et* anima mea *dilexit ea vehementer* et avida est ea adimplendi. *Servavi* **) *mandata tua et testimonia tua.* Tua quoque, sancte Spiritus! mandata servo, tam ea, quae olim per Prophetas tuos dedisti, quam ea, quae jam in Ecclesia mea editurus es; *quia omnes viae meae in conspectu tuo*, et quia totum *curriculum* vitae meae in Ecclesia tu non modo jam inde ab aeternis temporibus ante conspectum tuum habuisti, sed quia nunc etiam imprimis omnia mea, quae ad sanctificandos Meos pertinent, tuae gratiae, tuae vigilantiae permissa sunt: tu *progressum* Religionis, tu vias meas in tua tutela et in tuo conspectu positas habes. Tu es Paraclitus (Joh. 14, 26.), cujus fides ut Ecclesiae consolationi sit, ne irritum fiat illud: *„Dominus Deus tuus in medio tui fortis"* — Spiritus for-

*) (Hebr. schamerâh.) — **) schamarthi)

titudinis — „*ipse salvabit*; *gaudebit super te in laetitia, silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude*“ — Spiritus paraclitus. — (Soph. 3, 17.) *Appropinquet* *) *deprecatio mea in conspectu tuo Domine.* Admittatur precor, continua mea supplicatio, quam in conspectu tuo, sedens ad dexteram tuam, sine intermissione pro Electis meis effundo. Hoc unum autem ante Patrem et in conspectu Consolatoris oro, ut Salutare meum experiantur omnes, ita ut, „*si quis peccaverit, apud Patrem habeat me advocatum Jesum justum;*“ ut cognoscat, „*me esse propitiationem*“ — salutare — „*pro peccatis eorum.*“ (I. Joh. 2, 1.) Hoc unum supplico in conspectu tuo, ut omnes famuli tui in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscant, ut „*charitas Dei Patris, gratia Domini Jesu Christi, et Communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus.*“ (II. Cor. 13, 13.) *Juxta eloquium tuum da mihi intellectum.* Et in Ecclesia et in conspectu tuo si preces meas fundo, orare debeo cum intellectu; et si in Fidelibus meis oro, orandum est ita: „*Pater! noster, qui es in coelis!*“ Orandum autem etiam est „*in Spiritu*“ sancto et in Filio „*Veritate.*“ (Joh. 14, 6.) Sic si orabo, tum „*reddes populis labium electum*“ — ut cum intellectu orent — et, „*ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno,*“ — una fide et unum idemque sapientes. (Soph. 3, 9.)

Thau. *Intret* **) *postulatio mea in conspectu tuo.* Respice propitius supplicia, quae ex cordibus fidelium meorum ad te effundo. Imprimis vero quoties illud te oro, „*ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint,*“ (Joh. 17, 21.) et quoties te postulo, ut „*multitudinis credentium sit cor unum et anima una*“ (Act. 4, 32.): noli has pro *salutari* preces meas repudiare. Intret oratio mea in conspectu tuo: orare enim et quidem ad

---

*) (Hebr. thikrab.) — **) thabó.)

meum exemplum orare unitatem inspirat studium cujuslibet virtutis; precari et quidem precari cum intellectu, nulla somnolentia, nulla segnitie torpere sinit. Haec demum mea est postulatio, si poscent te unitatem. ***Secundum eloquium tuum eripe me.*** Quamquam mihi non necesse est meam et Ecclesiae vicem pertimescere, tamen, quia ita tibi acceptum est, orando et precando victoriam meam a te impetrare cupio — secundum eloquium tuum in Ps. mess. 2, 8. „***Postula a me*** *(ora me) et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.*“ Eripe me, precor; sola enim oratio omnes adversariorum artes eludet; ut ipsi impii eorum conatus nomen meum illustrent, — iterum secundum eloquium tuum, quod ad me locutus es: Si postulaveris a me, „*reges eos in virga ferrea et tanquam vas figuli confringes eos.*“ (ib.) Eripe me confidentem in auxilio tuo et orantem, qui, si te postulavero, vel reges terrae placare odia et jugum Jesu subire jussisti dicens: „*Et nunc reges intelligite. Servite Domino in timore et exultate ei cum tremore.*“ (ib.) Vultis audire, quid proemii orationi meae propositum sit? Pater mandatum dat: „*Osculamini Filium*“ (ib.) et „*apprehendite disciplinam*“ ejus. ***Eructabunt*** *) ***labia mea hymnum.*** Nunquam Ecclesia mea ab illustrando nomine tuo discedet nec orationibus tantum, ut modo dixi, continenter et ***clare pronuntiatis***, beneficia tua colentur, sed tacita quoque animi contemplatione piaque Meditatione h. e. labiis, honoraberis. Alio autem sensu labia amplissimam Cultus mei majestatem et splendorem ceremoniarum disertum in Ecclesia significant, per quas Ecclesia ita fere motus animi piissimos significat, ut labia animi index sunt. Labia, venusto rubore suffusa et placida animi tranquillitatis imago, non clara quidem voce preces expressas dicunt, sed tamen indicium devotorum animi

---

*) (Hebr. thabajna.)

affectuum edunt: eodem fere modo Ecclesia, cruore meo formosa et ad pacem salutis meae reconciliata, Processionibus, Campanis, Ornamentis, ne plura! omnibus ceremoniis velut labiis pietatis affectus ostentat et animos fidelium ad devotionem commovere et mysteriorum tantum non voce monere conatur. *Cum docueris me justificationes tuas.* Omnis Ritus ad majorem tantum gloriam tuam spectat et in eo officio semper perseverabo, ut nil aliud Ecclesia mea adoptet, quam quod tuae convenit voluntati. *Pronuntiabit* *) *lingua mea eloquium tuum.* Igitur quum ante omnia oratio („*postulatio*") et ea, quam ad dexteram tuam offero „*interpellans pro meis*" (Rom. 8, 34.), et ea, quam ex pectore porro fidelium velut ex fonte perenni scaturio (eructo), porro quum disertissima Ceremoniarum facundia animos ad te solum venerandum excitavit: nunc non labia, sed lingua mea h. e. praedicatores mei, quibus ut lingua utor, Evangelium tuum promulgant. *Quia omnia mandata tua aequitas.* Haec omnia: Orationes publicae pariter ac privatae, Cultus pompa, Conciones ad id valere debent, ut aequitas et *convenientia* omnium institutorum tuorum in Ecclesia manifesta fiat, ut ii quoque, qui nondum juramento meo dixerunt, quum ipsi testes fuerint, quam juste ac recte haec omnia se habeant, hoc adspectu ad fidei meae pietatem alliciantur allectique virtutibus meis augeantur. Nominatim vero aequitate, quae ab Apostolis primum praedicatur, ducentur frequentissimi, ut summa alacritate adhortationes Supplicationum, admonitiones Concionum prosequantur mihique nomen dent. Exequentur enim mandatum tuum apud Zach. 8, 3. dicentis: „*In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbriam viri Judaei,*" (ut Apostoli Judaei erant!) „*dicentes: Ibimus vobiscum, audivimus enim quoniam*

*) (Hebr. thaan.

Deus vobiscum est" et aequitas Domini stat vobiscum. *Fiat* *) *manus tua, ut salvet me.* Ad Orationes, ad festivas Ceremoniarum celebrationes, ad continuam in praedicando Evangelio sedulitatem illud etiam adjunge, ut manus tua Benedictionibus et mirandis facinoribus, quae Sancti mei in nomine meo patrabunt, manifesta appareat. Hoc enim proprium Ecclesiae meae erit, quo facile a falsis alienae doctrinae praedicatoribus internoscant, ut in nomine meo miracula patrare possit. *Quoniam mandata tua elegi.* Orationes, Ceremoniae, Sermones, Miracula ad unam omnium hominum salutem spectant, quia mandata tua elegi. Quae mandata? Quae dedisti, ad communem patrem nostrum Abraham ita dicens: „*In te* **benedicentur** *universae cognationes terrae*" (Gen. 12, 3.) et „*Benedicendae sunt in te omnes nationes terrae.*" (Gen. 18, 18.) Ergo „*Abrahae dictae sunt hae promissiones et semini ejus. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno: et semini tuo, qui est Christus.*" (Gal. 3, 16.) Igitur quum ita res se habeat, haec mandata tua elegi, quae exsequar, ut manu tua auxiliatrice singularia Benedictionis tuae specimina per Sanctos meos exhibeas. *Concupivi* **) *salutare tuum Domine.* Quo intentiore autem meditatione prosperrimi rei meae eventus animum oblecto, hoc vehementiori desiderio exoptatae perfectaeque *salutis* tuae teneor, qualis extrema futura est in consummatione saeculi. Tunc enim „*veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse coeperunt usque ad tempus illud. Et in tempore illo* **salvabitur** *populus meus, omnis qui inventus, fuerit scriptus in libro.*" (Dan. 12, 1.) *Et lex tua meditatio mea est.* In deliciis habeo, cum subit perfecti hujus salutaris et gloriae meae futurae; infinitae etiam jucunditati est, quum illud extremae commutationis tempus considero. Id temporis „*erit lux lunae sicut lux solis et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum*" (Jes. 30, 9.), et tunc temporis tota Ecclesia mea, omnes Sancti mei et ii, qui ad Sapientiam meam exhortati et ii, sicuti lege tua statutum est, qui doctrinam

*) Hebr. thehi.) — **) Hebr. (Thaabthi.)

Evangelii secuti fuerint, novo splendore „*fulgebunt sicut sol in regno tuo!*“ (Matth. 13, 43.) Testis est Daniel, qui hanc legem tuam scriptam reliquit dicens: „*Qui illuminati fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti et qui ad justitiam erudiunt multos quasi stellae in perpetuas aeternitates.*“ (Dan. 12, 3.) Qua in lege cum omni gaudio immoror. ***Vivet***) **anima mea et laudabit te.*** Tum, quum extremum tempus venerit, anima, vita mea in corporibus Sanctorum meorum reflorescet, tum reviviscam et *vivet* anima, cura, Ecclesia mea mecumque gloriosa vita utetur in coelis aeternisque laudibus te celebrabit. Sic enim praedictum est; ut „*multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilent **in vitam aeternam.***“ (Dan. 12, 2.) ***Et judicia tua adjuvabunt me.*** Juvabit me, quod dignum et conveniens judicasti, ut suo tempore Familiam tuam ex militia hujus mundi atque adeo ex tenebris mortuorum ad requiem aeternam et ad gloriosam resurrectionem reducas. Vivam ego et ita vivam, ut non modo animae Meorum beatitudine mea fruantur, sed ut carnis etiam resurrectione Meorum beare possim; sicut in visione Ezechielis statutum est de „*filio hominis.*“ (Ezech. 37. tot.) ***Erravi****) **sicut ovis, quae periit.*** Tota vita mea inde a descensu meo in uterum Virginis ad secundum adventum meum nil aliud facit, quam adimplet parabolam meam de „*ove quae periit.*“ (Luc. 15, 3.) Dum enim Ego in Ecclesia mea militanti versor, alias alios tractus peragrans, huc illuc errans, illius ovis perditae instar sum, quam tu Pater ante omnes desideras. Dum Filius hominis inter homines perditos hujus mundi versatur quin etiam vel in desperatissimi cujusque peccatoris animum quasi ad asylum confugit, si forte conversioni pateat: per haec omnia tempora ego Ipse illa ovis sum, quae periit, quae errat in deserto hujus terrae et, circumeundo etiam derelicta loca terrarum, fatigatur. Erravi sicut ovis, quae periit et ante hujus oberrationis meae relaxatio non mihi proposita est, quam tu Me Meosque utpote totam Ecclesiam cum Capite et membris in ovile unum, ubi tu solus Pastor es, reduxeris.

---

*) (Hebr. Thechi. — **) (Hebr. Thaithi.)

Quaere servum tuum! Ne sit tibi incuria mei, dum cum Ecclesia „*in via*“ sum et in erroribus. Ego enim sum „*servus fidelis et prudens, quem constituisti, Domine! super Familiam tuam.*“ Ille servus sum, qui famulitio suo famulos tuos in libertatem tuam vindicatum exiit. Quaere servum tuum eadem, qua ipse te quaerit, fidelitate. Nullam aliam obsequii mei, quod *usque ad mortem, mortem autem crucis,*“ ostendi, mercedem mihi deposco, quam ut gentem meam quaeras et de solitudine errorum et de deserto perversitatum in amoena Paradisi tui virentia jubeas venire. *Quia mandata tua non sum oblitus.* Quaere, tandem, Domine! servum tuum, idcirco a te missum, ut ubique gentium, si qua parte terrarum captum Religionis meae habeant, in caulam regni tui coelestis cogam: quia mandata tua non sum oblitus, quibus statutum est, ut tum denique finis erroris mei veniat, quum in immensum Ecclesia mea extenta erit. Dixisti enim: „*Absque muro habitabitur Jerusalem prae multitudine hominum et jumentorum in medio ejus*“ (Zach. 2, 4.) h. e. eorum, qui ad exemplum servi tui obsequenter subierint „*jugum meum dulce*“ et portaverint „*onus meum leve.*“ (Matth. 11, 30.) Memoria etiam retineo illam suavissimam tuam pollicitationem, quam dixisti: „*Ego ero Jerusalem murus ignis in circuitu et gloria ero in medio ejus.*“ (Zach. 2, 5.) Et jam Ecclesia, hactenus militans, ad gloriam Ecclesiae triumphantis introducetur, sicut aeternis his consiliis tuis mandatum est. Mandata tua, ut, relicto sinu Patris aeterni, non horrerem Virginis uterum, sum tuitus. Mandata tua, ut, *Prophetae* etiam partibus susceptis, praedicarem et praedicari juberem ubique terrarum bene sum executus. Mandata tua non oblitus tandem apparui Agnus Dei, qui pro recuperanda communi omnium hominum salute oblatus sum in cruce. Mandata tua, ut cum Fidelibus meis fideliter essem usque ad consummationem saeculi, probe recordatus, permansi in Ecclesia, donec ita ovis, quae periit, inveniretur et in unum ovile Ecclesiae triumphantis reduceretur in gloriam Dei Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Corrigenda:

pag.	linea (a deorsum!)	exstat	pro
2	9	.	:
3	15	quia	qui
4	32	tua	sua
5	ult.	ejos	ejus.
7	12	mandabit	mundabit
8	5	mea	me a
10	33	Ecclesia	Excelsis
12	16	in injustos	injustos.
16	30	in obedientiam	inobedientiam.
21	prim.	tuae	tuo.
24	17	non aeque	aeque.
38	33	pradicationis	praedicationis.
44	27	impiisimos	impiissimos.
46	32	tuas	suas.
48	5	Altissima	Altissimi.
65	21	hoc	huc
72	17	te	de
73	4	tuum	suum.
75	23	illudent	illudunt.
81	23	animarum	animorum.
102	30	affulgere	affulgeret.

Nota. Si cui mirum fuerit, me in „*Praemonito*“ vocabulum „*Carolus*“ non a radice sua germanica, quae significat: „*Fortis*“ „manu promtus“ derivasse. is nolit, quaeso, hac licentia mea gravari; nimio plus enim versio vocabuli „*David*“ h. e. „*Dilectus*“ „*Carus*“ per „*Carolus*“ mihi arrisit, quo nomine deminutivo charitatis ipsius affectus appareret. *Cicero* ipse quum ad Tulliam suam litteras daret, tenerrimo suo amore incensus, eam „*Tulliolam*“ appellare amabat.





